



IO STEPH·WISGA·D·G

Decades posteriores posthumae sequun-
tur cum philosophicis libris in 8vo [illegible].
& armenia[?] et Commentario Physico
Matthaei Flacii de vita & morte
Nro XXVI.

Confer cum hisce Nicolai Machiavelli Disqui-
sitionum libros tres in quibus cum [illegible]
[illegible] Historico Politicae [illegible]

# OBSERVATIONUM HISTORICO-POLITICARUM,

*Decades sex priores*

MICHAELIS PICCARTI FR.
PROFESSORIS NORICI:


*Cum Episodio Decadis unius*

NARRATIONUM RIDICULARUM.

*EDITIO SECUNDA.*




*NORIBERGÆ,*
Impensis SIMONIS HALBMAYERI;
*Anno*
M. DC. XXIV.




Dn. SI
WEN
T


Dn. ZA
RO à G
Eq. Aur

N
Dn. MA
LIN

D



Cum eu
voluit, c



*Illustri & Generoso Domino,*

Dn. SIGISMUNDO-MATTHIÆ WENZELIK L. B. à SARABIZ IN TRISCH. D. IN CAMIENECT ET CHINOWA:

*Strenuo ac Nobilissimo Heroi,*


Dn. ZACHARIÆ GEITZKOFLERO à GEILENBACH & HAUNSHEIM, Eq. Aurato & S. Cæs. Majest. D. Matthiæ Augusti Consiliario intimo:

*Nobilissimo item & Amplissimo Viro,*

Dn. MARCO-CUNRADO à REHLINGEN, &c. Eidem S. Cæs. Majestatis à consiliis,

*Dominis meis gratiosis & æternùm honorandis*

*S. P. D.*



QVum blanda illa rerum Parens Natura Hominem erectum fecit, Illustris & Generose D. Baro. Viri Magnifici Nobilissimiq; Cum eundem in consortio hominũ vivere voluit, duo mihi spectâsse illa videtur; unũ

quidem, ut, homo, illâ conformatione ſui admonitus, contemplatione rerum naturalium animũ paſceret, Deoq́; ſic Opt. Max. principi rerum omnium cauſæ & gubernatori adſimilaretur, alterum, ut ſocietatem cum ſui ſimilibus coleret, & officiis ſibi quamplurimos devinciret, utq́; illo priori munere ſapientię divinę, ſic hoc poſteriori bonitatis ejuſdem æmulus fieret, & ad perfectionẽ utramq; indefeſſo ſtudio contenderet. Apparet hoc ex eo, quod is naturæ ductu fertur in τὸ εἰδέναι, & ζῶον ἐστὶ πολιτικὸν, ut docuit nos, qui ſolus ingenio nubes & cœlũ perrupit, Ariſtoteles. Neq; v. natura ſolum ſed & DEUS ipſe legẽ hanc dictavit homini, dum & ſui agnitionem & proximi ſtudium atq; diligentiam ab eodẽ per Moyſen, Majeſtatis ſuę interpretẽ, poſtulavit. Unde quanto quis meliori coiit ſanguine tanto magis utrumq́; hunc Naturæ ductum, & ſupremi Entis juſſum ſecutus, ſtuduitq́; & quàm minimũ ignorare, & quàm plurimùm ſocietati civili prodeſſe. Quod ſi quis animo deficeret, & de utriuſq; ſucceſſu deſperaret, alterutrũ tamẽ omni ſtudio perſecutus eſt: utrũq; ſimul nemo, niſi beſtia aut monſtrũ neglexit. Addidit utriq; huic muneri Mens divi-

divina ſtimulũ,h.e. gloriæ appetitum,quæ ſequi ſolet,tum rer.naturaliũ intelligentes tũ Reip regundæ peritos:Hujus dulcedine illecti,ſupam⁹moleſtias,toleram⁹ labores, cõtemnimus voluptates,animiq́; curã corporis ſtudio prçferimus. Adeoq́; verè Pind.

Οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον
γε μαλθακὰ τεύχει
γυῖα, τόσσον εὐλογία, *hoc eſt*:

Non ita calida aqua mollia fovet mẽbra,ut gloria animũ demulcet, laboresq́; edulcat &cõdit. Acerrimus hic eſt monendi ſtimulus Plinio,gloriaq; ſolâ induſtria alitur,ubi eam demſeris,ipſa per ſe virtus aſpera atq; amara eſt: teſte Saluſt. Exempla foris quærere nihil attinet:Vos appello,Illuſtres Magnificiq́;Domini,quorũ gloria hiſce virtutib parta,jam totũ pervagatur orbẽ,quorũ etiã de meritiſſimis laudib. nulla umquam conticeſcet ætas, nihil decerpet edacitas tẽporis, nihil deteret oblivio. Vos ætatem animis,animos virtute,virtutẽ gloriâ ſuperâſtis:Cumq́; benemereri de Rep. omnium rerũ Doctiſſimi,quotidiè pergatis,nihil illa reperit, quod vobis omnes famæ laudisq́; cancellos atq; ordines egreſſis reponat aut retribuat,jamq́;viciſtis ipsã quoq; gloriam & admiratio veſtri ſolum relicta bonis eſt.

Fecit hęc res, ut cum observationes nostras hasce Historico-Politicas Publico permittere cogitarē, quibus testarer studiū meum benemerendi etiā de cōmuni patriâ, homo cętera Philosophus, & Theoreticis studiis deditus; non curiosè circūspicerem labori meo Patronos: Quorum .n. admiratio me totū possidebat, & in contemplationē augustæ virtutis rapiebat, iis affectū meū prodere non erubescebā, memor partē aut certè colorem aliquem virtutis esse, Virtutem aliorū non intueri limis, sed veris & incorrupti judiciis æstimare. Vobis igitur Heroes Generosiss. imputabitis, si frontē posuisse aut pudorem devorâsse videbor. Ut ab suspensa in medio atrio lucernâ lumen omnes fœneramur, ita à conspicua toti orbi Christiano virtute vestrâ, ne miremini, si quid ego quoq; luminis cōcepi; si quas splendoris vestri stricturas labori huic etiam meo mutuor, & per eas lucē publicā adspiro. Nihil dicam de tuis in me meritis Illustr. D. *Wenzeliki*, & honestissimâ de studiis meis existimatiōe, nihil de stimulo quē currenti, quod dicunt addidit Vir item Nobiliss. virtutisq; ac dignitatis vestræ, Viri Magnifici, studiosiss. Dn. *Philippus Hainhoferus* Patricius Augustanus

ſtanus Patronus & amicus meus benevolentiſſimus. Quorũ illa grati animi teſtificationem pro jure ſuo exigebant, hujus autem ſummi viri auctoritatem adſpernari nullo velo, nullo colore poterã. Accipite igitur, Illuſtres & Magnifici Domini, quod pignus vobis offero, ſumæ meę & propemodũ ſingularis erga vos omnes & ſingulos obſervantiæ calidiſſimiq; affectus, & clienti veſtro, ſi iniquum non petit, hoc retribuite, ut arroſores iſti & cenſores alienorũ laborum iniqui intelligant, vos & ſplendorẽ veſtrum huic opuſculo non denegare, & patrociniũ ejus adverſus proterviã hujus ſeculi nõ detrectare. Multũ hoc eſt fateor, non tamen à veſtra indole aut virtute alienũ, certè non à ſpe, aut expectatione mea: quã non fallere, in veſtrâ eſt manu, Viri illuſtres: Quorũ incolumitatẽ Deo Opt. Max. famam & pręconia nõ hujus tantum ſeculi viris doctis, ſed & omni retro (ſi qua modo futura eſt) poſteritati cõmendo. B. V. Viri Illuſtres & Magnif. optimo publico & ſplendori perennate familiarũ veſtrarum. Altorfio è Muſeo.

*Illuſtri Nobiliſſimæq; Magnificentiæ Veſtræ*
*Omni cultu, obſequio & affectu deditiſſ.*
*Michaël Piccartus F. Prof.*
*Noricus in Academia Altorf.*

# AD EOSDEM
## Elegidion ejusdem.



*Iderei Proceres, ipso æthere* CORCULA *nati,*
*Deliciæq́ Poli, deliciæq́ Soli.*
*Qui cœlos animis habitatis, corpore terras,*
*Et lancem æquali pondere circùm agitis*
*Ut medias cœloq́ vices terrâq́ tenentes*
*Vos declaretis DIs Hominiq́ datos.*
*Respicite unanimes, & apertâ fronte Clientem,*
*Illustri celebres Nobilitate viri:*
*Respicite & nostrum dextrâ accipitote Libellum,*
*Judicio is vestro stabit itemq́ cadet.*
*Nequaquam imbelles curas, ut ego ominor, ille*
*Nec vulgi nugas despientis habet:*
*Regnorum excelsas cepi transcendere metas,*
*Spectavi & Patriæ commoda grata meæ.*
*Nil populi plausus moror, aut præconia plebis,*
*Remigio cœlum liberiore peto.*
*Huc tollit virtutis amor, Mens suppetit alas,*
*Sed terra infelix deprimit hos animos.*
*Vos Proceres, Divum Genus atq́ HEROA propago,*
*Nitenti sursum ferte potenter opem.*
*In vestris hoc est manibus: sic vos ego novi:*
*Nec quidquam vobis Numina dura negent.*
*Porrigitote manum scandenti, inducite cœlo;*
*Vel date in hoc nobis fata quieta solo.*
*Et tutum hunc nostrum passim præstate libellum.*
*Compescat linguæ murmura vester Honos:*
*Hoc facite & Pylii traducite Nestoris ævum:*
*Sic vos ex meritis FAMA loquetur Anus.*
*Ipse equidem ante omnes vos prodigus admirari,*
*Virtutem pretiis & trutinare suis*
*Incendam laudes Vestras Cœloq́ dicabo,*
*Dent modo mî Musas Numina propitias.*

M. P. Fr.

*Illu-*







*Illustris & Generosi Domini,*

DN. CHRISTOPHORI ADAMI WENZELIKI L. B. à SARABICZ, D. IN TRISCH. &c.

## *EPIGRAMMA,*

Ad CL. Virum,

*Dn. MICHAELEM PICCARTUM Fr. Academiæ Norimbergensium Altorfinæ Professorem & p. t. Rectorem, Hospitem suum colendum.*



Iderat Historica hæc Meletemata, viderat (illa
*Juppiter*: illa tuę dogmata pulchra Lyræ.
Et quid, ait Musis, digno cessamus honore
PICCARTI meritas indupedire comas.
Jure suo Historici titulum meret atque Politi,
Philologusq; bonus, Philosophusq; bonus.

---

*In Viri Clarissimi,*

MICHAELIS PICCARTI Fr. Professoris in Academia Altorfina Philosophi Observationes Historico-Politicas.

*Sisyphium volvat pars ævum perdere nata*
*Saxum; Sophi sed altera*
*Ridiculi dolium vano rotet, à Jove nomen*
*Qui habuit, labore: protinus*

 Com-

*Commutent alii per me quadrata rotundis:*
*Conflent in aurum, Cyprium*
*Æs, si qui possunt: modum quærantq; perennem*
*Rerum caducarum, ocia*
*Queis sunt. Comburant horas aliiq; fritillo,*
*Fallantq; tempus aleâ,*
*Aut pergræcantes agitent Dionysia Iaccho,*
*Cuivis voluptas sit sua.*
*Te meliore luto fictum impallescere chartis,*
PICCARTE, *totum novimus,*
*Historicûm & lustrare dies noctesq; sagacem*
*Amœna tempe, atque optima*
*(Floriferis ut apes in saltibus omnia libant)*
*Horum è libris excerpere:*
*Assiduum quæ Lectorem oblectare possint,*
*Iuvare verò plurimùm:*
*Exemplis ad virtutem rectisq; probisq;*
*Inducis altos Principes;*
*Informas civeis: pulcrè traducere vitam.*
*Doces togatos, milites.*
*Nucleus Historicûm verè indigitabitur iste,*
PICCARTE *mi, codex tuus.*

Georgius Remus P. Aug. JCtus
& Consiliarius Noricus
F. Norimb.

---

SEu viridis tibi ridet honos, PICCARTE, Lycei,
Seu cupido ostentat comtam se blanda Poësis,
Aurea seu nitidis stellans Facundia gemmis
Ad sese lacet, aut pulcræ pellacia Famæ
Suadet & inducit doctis certare PERICLIS,
Seu caperis rerum pelago dare vela patenti

Cona-

Conatu adſpirent Pimpleides, impete eodem,
Omnia dexter agis, Logices nunc ſpinea calcans
Nunc urbeis & regna ſimul ratione peragrans.
Nunc & naturæ cultis ſpatiatus in hortis:
O quem te memorem! namque haut vis tanta cerebri
Plebeiæ inſinuat pulpæ, verum altiùs hauſtus
Arguit æthereos & diæ particulam auræ.
Qualis amore ſui Mortales pertulit omneis
Unicus ille abavûm Phœnix MIRANDULA ſeclo;
Qualis & Heroas inter caput extulit altum,
Submiſit faſceis nuper cui doctior Orbis,
SCALIGER ille Pater, patre & digniſſima proles.
Haut ſecus ingenii ſpirat vis vivida veſtri
Indomitùm, PICCARTE, viamq; affectat Olympo.

*Michaël Virdungus Hiſtoriarum*
*& Eloquentiæ Profeſſor.*

---

*Hectora vivaci Peitho Smyrnæa papyro*
*Laudatum Famæ collocat ante pedes.*
*Laus reliquos æterna omnes, quicunque obiere*
*Pro patriis inter vulnera pulcra focis.*
*At te plus illis olim,* Piccarte, *loquetur*
*Gloria manſuris pulcrior in foliis.*
*Nam patriam hoſtili licet eripuere priores*
*Agmini, eam haud ævo ſurripuere tamen:*
*At tu cum monitis revocans ad ſecula docta*
*Pro patria pugnans nobilis umbra clues.*

Georgius Gualtherus Lipſicus
J. U. Candid.

---

UNa fuit juveni prius ars SAPIENTIA mundo
Omnia rimandi dum novus arſit amor.

Nos

Nos quantum seclo tantum fervore minores,
Inventæ totas spernimus artis opes.
Quisque suo partem spolio decerpit, & inde
Grammaticus, Logicus, Ethicus, Astronomus,
Historicus, Physicus, Vates. Cosmographus audit:
Imbre Sophus pleno nemo madere cupit.
Tu vetus auspicio signum PICCARTE, recenti
Tollis, & is ævo celsior ipse tuo.
Grandibus ut variè se jam liberaverit ausis
Vis tua, cum pluteis charta loquetur anus.
Altivagis tandem sophiam nunc deripis astris,
Æmulus & media Socratis urbe locas,
Exemploq; tuo convivia vana refutas,
Docti quibus Scholici vapulat umbra gregis.
Macte! tuis quantum curis Academia debet,
Debebunt studiis oppida & aula tuis.

*Martinus Ruarus Holsatus*
*Philosophiæ & Philologiæ*
*Candidatus.*



IN-



# INDEX CAPITUM.

## DECAS PRIMA.



## DECAS II.



CAP.

Quæ-

DECAS V.



DECAS VI.



Luden-

## NARRATIONUM RIDICULARUM INDEX.



OBSER-



# OBSERVATIONUM HISTORICO-POLITICARUM,

## DECADIS I.

## CAPUT I.

### *Fidei insignis Castellanorum quorundam Exempla.*



Ogitanti mihi, quodnam ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον τηλαυγὲς ἰνε-venirem, & quæ potissimum laurus hujus novi ædificij postes ornaret, à virtute placuit petere, quæ quantò rarior est hoc seculo, tantò commendatior & charior bonis esse solet. Fidem dico, quæ exinde canæ sive priscæ cognomentum adcepit. Eam hoc capite quibusdam belli ducibus curæ cordiq; fuisse ex Historiarum monumentis docere conabor. Atque initium quidem mihi faciat Marcus Gurtherrius, Nobilis Hispanus, cujus stupenda fides, *Rodericus Santius p. 3. Hist Hisp. c. 37. p. 304.*

 con-

constantia, & magnitudo animi invicta, nescio an ullis præconijs satis illustrari possit. Hunc Diadcus de Haro, Dominus de Viscaiâ, postquam ab Alphonso Nono, filio Fernãdi Legionis Regis cum sorore Vrraca Alphõsi noverca Fernandi conjuge, patre vitâ functo, regno expulsus esset, Castro suo famosissimo de Gujar Castellanum præfecit, eiq; arcem diligentissimè commendavit. Alphonsus eam frustra septem annis obsedit, Marco nec minis territo, nec præmijs corrupto, nec obsidionis diuturnitate fatigato. Ad extremum cum pertinacia obsidentis nihil remitteret, quod fieri necesse erat, non modò victualia cuncta, sed & homines Guttherrium defecére. Nihilominus Guttherrius solus forti suo animo tantum sociatus in Castro permansit, erâtq; ei cibi animalium coria obvio liquore macerata, herbæ item, mures & cujusvis generis bestia, quam occupare poterat. His tandem omnibus consumptis, nec aliorũ parandorum datâ copiâ, Marcus suspensis ad collum arcis clavibus inediaq; fermè cõsumptus, ad portam turris interiorem in medio cardinis fere exanimis decubuit, sicq; integram diem mansit, futurum omninò ominatus, ut moriens sese in media porta intrantibus obicem opponeret, sic, ut nemo nisi supra ipsum intraret, cum nullus, dũ viveret, contra

cum

eum ingredi potuerit. Rex interim solitum impetum adversus castellum promovens, neminemq; resistentem prospiciens, apponi tãdem ad murum scalas jussit, per quas ascendentes fortissimum virum semivivum reperiunt, Castrum, non item se, custodientem. Fuere qui descenderent, & Castellanum jam mortuum rati, sublatum in humeros ad Regem perferrent: quo viso lacrymas Rex tenere non potuit, admiratione plus quam heroicæ virtutis, operamq; unicè dedit, ut idoneis adhibitis remedijs paulùm conualesceret. Quò postquam invitum Medicorum industria perduxisset, & ob pertinacissimam fidem exemplo toti posteritati futuram, petere, quę vellet, jussit. Cui Marcus, *absit*, inquit, *à me longissimè, O Rex, ut capiam aliquid abs te, qui gloriam, qui honorem mihi eripuisti meum. Erat gloria mea & æternæ famæ monumentum in arce mori, quod tu, ut viverem, abstulisti. Ibo, si permittis, ad Dominum meum libens, ut vitam adimat volenti, quam tu dedisti invito, fecistiq;, ne fidem præstarem, quam honesta morte præstitissem.* Sic à Rege dimissus ad Didacum Herum in Africa exsulãtem, mœstus pervenit, à quo rerum jam omnium gnaro benignè acceptus est. Non diu post adcidit, ut in solemni conventu à multis Nobilibus, præsente Didaco, præsente item Guttherrio, hujus fides & constantia lauda-

retur, ad quos Didacus his verbis; *Fidelissimum Guttherrium exstitisse Castellanū nemo ambigit, Castrum tamen interim Marco fiducialiter commissum mihi periit, idq; haud invitus reddi mihi viderem.* Quod verbum parum humanum Marcus ad animum altissimè revocavit, seqs de fide neglecta sugillatum doluit. Digressus igitur ilicò à Didaco Regem Legionis iterum adiit, vilissimoq; amictu indutus barba intonsa inpexisq; capillis inter canes venatorios Regis hærens, pane eorum pluribus vitam tenuit diebus. Tandem agnitus Regi proditur, qui miratus ad se vocatum interrogavit, *qur eò usq; se demitteret, qui principem in aula locum facilè tenere posset?* Marcus Didaci scomma remq; apud eum gestam ordine commemorat, multisq; eum lacrymis obtestatur, *ne se Rex tanquam profugum & proditorem Castrò vivere vagariq; permitteret, sed Castrum redderet, uti fidem Didaco servare posset.* Rex benignissimus assensus est, jussitq; uti Castrum ei, sicut tum armis & victualibus munitissimum erat, redderetur, quod ille, cum vellet, Didaco liberandæ fidei suæ restitueret. Dictū factùm; Marcusq; eo beneficio lætus, ubi Castrū plenè possedit, ad Didacum scripsit, *veniret jam, Castrum suum reciperet, seq; homagio præstito liberaret.* Cui Didacus, fidem Viri admiratus, rescripsit, *uti arcem suo nomine Regi Legionis tra-*

*deret, ipse homagio liber esset, & rarissimæ fidei fortitudinisq; præconiis mactus gloriosissimam vitam porrò quoq; ageret.* Magnum profectò hunc Virum; nescio tamen an inferior fuerit ei Rogerius Sanguinetus, de quo legimus, cum anno Salutis 1288. Jacobus Siciliæ Rex Belvederum Calabriæ oppidum adgressus duriter obsideret, idq; Rogerio Sanguineto, qui sub Carolo Gallo militabat, parêret, oppidani hortatu Ducis sui, fame jam ante & siti desperabundi, grandibus saxis è machinis jactis, Castra Jacobi Regis impetebant. A qua ferocia uti Jacobus averteret obsessos, Sanguineti liberos, quos obsides pro Patre habebat, ad impetita maximè Castrorum loca palo adfixos imposuit, ratus sic, filiorum amore patrem à lapidum projectu, & emissione cessaturum. Sed Sanguinet⁹ ne ullo modo à Rege Carolo desciscere videretur, quam eidem fidem dederat, amori ex se ꝓgnatorum ante tulit, durioribusq; in eam partem saxis projectis factũ est, ut uterq; filius è vertice pali dejecti corruerent, quorum alter statim interiit in oculis paternis, alterum illæsum Dei benignitas servavit. Movit hæc res adeò Jacobum, ut tantæ virtutis respectu, Sanguineti dolori modum impositurus alterum filium sericis velatum vestibus ad sepulturam, alterum verò superstitem liberũ ad solatiũ genitori remitteret,

*Thomas Fazellus Rer. Sicul. Dec. post. l. 9. p. 461.*

 &

& confestim obsidionem solueret. Tantò meo judicio nobiliorem hunc Guttherrio quantò liberorum salutem propriæ pii parentes magis anteferre solent. Videamus tamen, an huic quicquam concesserit Blasius Melanensis, montis petrosi arcis fortissimæ fortissimus Castellanus. Cum Agnolus Bergolensis Flaminiam, quantum Florentinis parebat, hostiliter admodum vastaret, arcemq; dictam oppugnaret, ignibus in eam conjectis & arcis pleraq; jam haurientibus, Blasius hic noster undiq; ab hoste circumseptus conclususq;, neq; arcem ultra defendi posse animadvertens, ex eâ castri parte, quam ignis nondum depascebat, paleas, lodices, aliaq; id genus dejecit, quæ filiolos duos itidem dejectos exciperent: Tum *adcipite*, inquit, ad hostes, *ea, quæ à fortuna mihi obtigêre bona, quæq; mihi auferri à Vobis queunt: Ea verò, quæ in animo meo reposita sunt, inq; quibus gloria atq; decus consistit, ea ego nec Vobis dare, nec Vos eripere mihi potestis.* Vicit ea constantia hostium animos, ut primum quidem infantulis opitulatum adcurrerent, deinde Blasio flammis jam ustulato funes scalasq; suggererent, quarum adminiculo vitæ prospiceret. Sed maluit ille igne consumi, quàm patriæ suæ hostibus vitam debere, exemplo ad omne ævum memorabili. Excepti fuere ab hoste infan-


infantuli, ipsisq; omnia salva, quæ salva ab igne magnaque solicitudine propinquis restituti sunt, quos Resp. Florentina memor paternorum meritorum summo quoq; studio & benevolentiâ prosequuta est, eq; publico, quoad vixerunt, ipsos ali curavit. Claudat ordinem Alphonsus Petri Castellanus oppidi Tarifæ, Eques Hispanus ex illustri Gutzmannorum familia, quod oppidum cum infans Johannes Sancii IV. frater sex continuis mensibus vehementissimè oppugnaret, seque operam ludere videret, misit, qui peterent aurum libertatis suæ precium, quibus Alphonsus masculè respondit, *ferrum sibi à majoribus relictum esse, quo oppidum tueretur, non aurum, quo libertatem ab hoste mercaretur*; imitatus hoc responso priscos illos Hispanos, non minoris fidei & virtutis Viros, qui apud Ciminium antiquum Lusitaniæ oppidum diu item olim à Bruto Consule Romano obsessi, & tandem de redemptione conpellati, iisdem prorsus verbis legatos dimiserant. Exacerbatus hoc Alphonsi responso Johannes: *Opus est*, inquit, *ut video, sanguine, si vincit debet Alphonsus*, arreptoq; filio Alphonsi, qui suo malo tùm in Johannis servitio erat inque vincula conjecto, alios ad Alphonsum mittit legatos, postulatum, *si salvum vellet filium Alphonsus, oppidum dederet.*

*Rodericus Santius Hist. Hisp. l. 4. c. 7. p. 380. & 381. Antonius Nebriss. Decad. 1. lib. 7. c. 7. in Oratione ducis à Methynâ Asindicâ appellat Alphonsum Petridem Gutzmannum.*

Quo nuncio pater nihil territus, *Dicite,* respondit, *legatis, filium me non Iohannis adversus patriam genuisse, sed patriæ adversus Iohannem & omnes hostes. Faciat igitur filio, quod vult & jugulet sanè, furori ac perfidiæ suæ faciat satis, consulet tamen etiam honori meo. Nam malo orbatus filio, quam fide vivere, cujus vitam meo dedecore constare nolo. Et ne me verba solum ei dare putet, dabo ei gladium insuper, quo triste quidem in speciem spectaculum, mihi tamen perhonestum, expleat,* gladiumq; simul de muro demissum Legatis Johanni ferendum tradidit. Verùm longè alius huic, quàm Agnolo Bergolensi & Florentinis, de quibus supra, animus. Adcepto enim gladio auditisq; Legatis illico miserum adolescentem in oculis patris gladio ab eodem demisso crudelissimè trajecit, necavitq;. Fecisset ille longè honestius & genere suo dignius, si Antonium illum Romanum imitatus fuisset, qui cum nullo pacto Centurionē à Cæsaris hostis sui fide retrahere potuisset, atq; ob eam rem filium ejus, quem captivum ducebat, occidere decrevisset, eiq; Centurio constanter respōdisset, *nullius se filiorum, si maximè multos haberet, supplicio adduci posse, uti Cæsaris miles esse desineret, Antonij autem esse inciperet;* ita repentè flexus immutatusq; est, ut quantò constantius filiorum vitam pater cōtemneret, tantò promptius ab Antonio suam

ipse

ipse vitam impetraret, (ut eleganter concludit facti hujus narrationem ex Livio doctiss. Scriptor Hispanus.



# CAPUT II.

## *Fides servorum in dominos in bellicis periculis rarioribus aliquot exemplis ostensa.*

ITa me cepit Castellanorum horum constantia & insignis fides, ut & alterum hoc caput Fidei quoq; tribuendum putârim, non Castellanorum quidem, sed fortissimorum tamen militum in dominos suos & principes. Inter quos familiam fortè ducat Gensualdus famulus Remoaldi, filij Grimoaldi Longobardorum Ducis, quem cum Constantius Imperator Græcorum Beneventi obsedisset, Remoaldus famulum hunc suum Gensualdum ad patrem auxilia petitum misit, ad cujus petitionem Grimoaldus cum omnibus Longobardici Regni viribus filio suppetias laturus contendit, Papiaq; soluens per Æmiliam, Flaminiam, Picenum, Aprutiosq; iter tenens, ut filium de suo adventu certiorem redderet, eundem Gensualdum, à quo fuerat de auxiliis soli-

*Pandulphus Collenutius lib. 2. Hist. Neapol. p. 64.*

solicitatus, nunciatum filio præmittit. Is à Constantio interceptus, deq; adventu Grimoaldi ab eodem edoctus, vitæ spe facta, jussit, ut contra quàm verum sciret, in mœnibus collocatus nunciaret Remoaldo, multis nunc alijs impeditum rebus patrem filio suppetias ferre nequire, cujus mandato Gensualdus in speciem adsensus, ubi primum ad Urbis mœnia delatus est, Remoaldi Principis conpellandi copiam sibi dari petijt. Quo prodeunte masculè admodum in hæc verba prorupit: *Bono sis animo Remoalde, Pater tuus propediem cum potentissimo exercitu aderit tibi auxilio, Eum enim ad Sarum fluvium reliqui, sed interim uxorẽ atq; liberos meos tibi commendo, scio enim me ab hac crudeli Græcorum gente mox necatũ iri.* Quibus verbis & animi generosi tàm nobili argumento irritatus Imperator Constantius caput ei è vestigio amputari, idq; funda in Urbem conijci curavit. Quod Remoaldus sublatum in manus exosculatus est, nec sine lachrymis, clientis fidem admiratus, honestissimè sepelivit, Constantius autem statim obsidionem solvit. Gensualdo huic Lombardo parum concedet Garsias Comes Hispanus, de quo hæc in historia Hispanorum legere olim memini. Cum Aldephonsus Fernandi filius Portugalliæ, Castellæ & Legionis rex ab Amiramomenino, qui Hali proprio nomine

*Rodericus Toletanus lib. 6. de Rep. Hispan. c. 33. p. 245.*

nomine dicebatur, Arabum & Saracenorum principe, bello adpeteretur, & Vclesium obsideret, ipse ætate & morbo præpeditus, cum adversus eum arma capere non posset, Sancium filium parvulum adhuc Comiti Ordonij Garsiæ commendatum cum flore Regni & exercitus adversus eum misit, qui cum hostē adtigissent, & prælium cum eodem commisissent, adcidit ut equum Sancij Saracenus aliquis graviter vulneraret, quo viso puer ad Comitem lateri proximè herentem, *pater, pater, inquit, equus meus lethaliter sauciatus est, quid me futurum?* cui comes, *metus est, O Princeps, ne idem adcidat Tibi quoque, quod tamen me superstite, quà licebit, cavebitur*, quæ vix eloquutus fuerat, ecce tibi, cōcidit ex vulnere Infantis Hispaniarum Sancij equus, cumq; eo ipse etiam Infans. Non latuit fidissimum adstitem Garsiam casus; itaq; mox degreditur & ipse equo, pueroq; inter se & clypeum conlocato, & commissum fidei suæ principem tutabatur & inruentes in se strenuè repellebat. Tandem verò pede hostili ictu resecto, cū stare amplius nō valeret, parvo tergo suo adplicito superincubuit, ut prius ipse quā infelicis. princeps cæderetur. Quæ fides dolorem tristiss. patris nō leviter mitigavit, id quod adloquio suo ad reduces ex illo prælio Magnates testatus est:

illo

*Ille, inquit, cujus cura ac custodiæ filium commiseram, sustinuit, incubuit & obcubuit super eum. Vos autem quur relicto illo venistis?* Quid fecit pro Alexandro augustius Clitus, quem tot loquuntur historiæ? Nec defuere maiorum nostrorum Exempla, quæ cum his de gloria & laude contenderent. Factum legimus circa annum Christi 1 0 8 8. ut VVelffo Bavarus odio adversus Sigefridum Episcopum Augustanum ferretur, eumq; adortus ferro traiicere conaretur, sed fortissimus Germanus Ulricus Pincerna à Planckenberg ictum Bavari intercepit, suoq, corpore excepit, confossusque æternæ fidei in dominum elogio occubuit, Cui Sigefridus Episcopus hoc monumentum poni curavit:

*Abbas Vrspergensis.*

*Pontificis fidi vitam tego dum Sigefridi,*
*Vdalricus ego sic tibi notus ero.*
*VVelffo ferens aciem gladio me stravit inermem*
*Ne patiar, gladios tu pete Tartarios.*

*Ita Camerarius. Dresserus Bartholomeum nominat.*
*Sleidanus lib. 15. initio.*

Hujus exemplum sequutus est nobili item gente fortissimus adolescens Sebastianus Ribissus Mysus, qui cum anno 1 5 42. cum Principe suo Mauritio Saxoniæ Duce magni spiritus adolescente, sedecim tantum annos nato, jussus, è castris quodam die progressus esset, in Turcas aliquot incidunt, cumque illis manus conferunt. Prior Princeps equo confosso in terram effunditur, famulus mox toto

corpore

corpore Principem incumbens jacentem tātisper protegit, donec è vicinis castris equites super venirent, qui hostem fugarent, & Principem periculo eriperent. Ac vitam quidem Principi sic servavit, sibi pro vita gloriam immortalem peperit, plurimis enim vulneribus confectus in castra vix relatus interijt. Nec obliteranda est memoria fortissimi Helvetij Nicolai Duthij. Erat is Prætor Urbis Zofingensis, quem vulgò Schultesium appellant, quod oppidum nondum se ab Austriacis sejunxerat, sed fidê adhuc Leopoldo servabat, qui cum infelicem illam pugnam adversus Helvetios ad Sembacum pugnaret, Nicolaus hic Duthius, quem dixi, Zofingensium vexillifer erat, cumq; suis fortunam adversam & inclinatam jam aciem animadverteret, ne vexillum fidei suæ creditum in hostium potestatem veniret, lacerum & in frusta concisum ore recondidit, quemq; locum pedibus ceperat, fortiter occumbens corpore texit. Quĩ repertus inter cadavera domumq; reductus vexillum quoq; suum ore retulit; quæ res ita movit Proceres Urbis, uti deinceps in juramentum vexilliferi Urbis factum hoc relatũ sit. Iurat enim vexillifer, *se, si res in extremum discrimen fortunæ sævientis arbitrio deducatur, ne vexillũ in hostium manus & ludibrium perveniat, id exemplo Duthij vel in ore servaturum.*

*Stumpfius in Chronic. Hel. lib. 7. c. 43. fe 511.*

CAPUT



## CAPUT III.

### *Hostiles minæ argutè elusæ & in contrarium versæ.*

MAgna Imperatoris virtus est, nihil adversis terreri aut ulla de se metus signa dare. Ea autem virtus vel potissimùm elucet in hostium potentia elevanda & minis contemnendis. Adcedit autem ad magnaminitatis laudem, si in contrarium quoque vertantur. Nihil dicam nunc de obvijs exemplis, ut cũ ostentante Barbaro opes suas fortissimus Romanus respondit, *suffecturas eas Romanis, quãquam avari sint.* Quæsiverat Barbarus, sufficerente opes suæ debellandis Romanis? respõdit ille, *sufficere ad prædam.* Hæc fortasse aut argutiora sunt aut certè minus obvia. Leonidas Lacedæmonius quum à quibusdam terreretur, ne cum Persis negotium ei esset, fore enim, uti illi sagittarum multitudine nubem facerent; *Bellè*, inquit, *& probè, sic enim in umbrâ pugnabimus, neq; sol æstu suo nobis molestus erit.* Ingeniosè etiam Aulus Torquatus, cui Græcam aliquam Urbem oppugnanti, cum diceretur, *Juventutem in eâ studiosè jaculis & sagittis exerceri: Rectè*, inquit, *se habet: Sic enim captâ Urbe pluris eam vendam.* Theodoricus porrò Gotho-

*Frontinus.*

Gothorum Rex Romam oppugnans, cum à quibusdam moneretur, ne se temerario periculo committeret: Romam enim ita militibus stipatam esse, ut pluribus admittendis nō sit locus; *Tanto*, respondit, *mihi promtius eos vincere: Nam & fœnum quò densius, eò demessu facilius*. Argutum etiam illud est. Quinti Flaminij Consulis Romani contra Antiochum missi: nec argutum modò sed & facetum. Cū enim Achæos Legatos Antiochi adventantem ejus exercitum numerosum admodum recensentes audivisset, diversaq; eorum vocabula jactantes, his eos verbis pudefecit. Cum Chalcide apud Hospitem cœnarem, mirarerque multitudinem carnium adpositarum, hospes ad me inquit, omnes porcinas esse, sed cō dimentis atq; adparatibus differre. Quid igitur miramini hos milites, qui Syri omnes sūt? Armis solùm differūt, hastati videlicet alii, satellites alii, alii denique spiculatores. Quibus verbis usus est Rodericus Cidus dictus Campiator, ut exercitum suum innumera Maurorum multitudine adversus se euntiū labascētem erigeret, Sinite, inquit, timere; armorum modò varietas est, nō militū strenuitas. Mauri sunt omnes, eorumq; ossibus Campi nostri albent, nec victoriæ penè numerari possunt. Addam minus argutū quidē, Veteris tamen historiæ imitamentū. Año partæ salutis 1016

*Plutarchus in eius vita.*

cum

cum Saraceni irruptione in Italiam factâ à Papa Benedicto deleti essent, eorumque Regina capta ac capite plexa fuisset, Rex Saracenorum uxoris cæde militumq; jactura gravissimè dolens, saccum castaneis plenum ei trãsmisit, minitatus, primâ æstate tot se adversus ipsum educturum milites. Papa nihil inani terriculamento motus. Bulgam ei milio plenam remisit indicariq; jussit, veniret modò, non enim pauciores loricatos hostes inventurum. Veteris hoc historiæ imitamentũ esse dixi, apud quos meminimus hosti ab hoste missum papaveris saccum, ut ex eo numerum militum suorum cognosceret. Cui sacculum alter remisit, piperis granis refertum: pauciores quidem suos, cæterum acriores futuros alterius, licet pluribus innuens. Lubet addere cavillum vicarium duorum potẽtissimorũ Principum. Ferunt Franciscum primũ Gallum Carolo Quinto interminatum aliquando ne se irritaret, se enim vel scholaribus suis Parisinis, quorum 40000. tunc numerabantur, omni etiam Europa pulsurum; huic Carolus, qui Francisco animi magnitudine nihil concedebat, responderi jussit, veniret cum suis scholaribus, se ex singulis cœnobiis suis unum solum otiosum monachum lecturum, eumq; exercitum contracturum, qui scholaribus illis & numero & viribus responderet.

sponderet. Obsignabo caput hoc fortissimo Responso, nec ingenioso minus Vlrici Eslachij Imperatoris Helvetici, cui cùm officio Imperatorio præclarè fungenti significaretur, quosdam suorum in prima acie terga vertisse, nihil ille territus respondit: *Perplacet mihi paleas à granis ventorum vi sejunctas.* Poterat enim contingere, ut milites mei fungos istos & barbatas, ut loquuntur Itali, fœminas sui similes rati minus seriò pugnassent, nunc sentient & pugnæ laborem solis incumbere & victoriæ præmium ad solos pertinere.

## CAPUT IV.

### Σκέμμα πολιτικὸν *observatarum in speciem legum.*

INter alias Tyrannidis notas est & ea, quod miram quandam legum simulant observantiam. Itaq; ubi libido eorum non patitur obsequi legibus, dolum malitiosè comminiscuntur, quo & libidini obsequantur suæ, & nihil tamen legibus detractum minus oculatis persuadeant. Vsi hoc scemmate primi Triumviri, qui cum passim proscriptionis suæ tabulis in rep. Romana grassarentur, haberentq; inter proscriptos divitem quendam & exosum sibi prætextatum, viderent autem cautum vetitumq; legibus Romanis prætex-

tatum occidere, coegêre miserum ante annos togam sumere virilem; ut sic furori ipsorum servire perimiq; posset: nec animadvertêre vecordes, dum uni legi jus suum adserere præsumunt, alteri, hoc est, Annariæ legi sese injuriam facere. Æmulatus horum inanem sophisticam, ut alia omnia Tyrannorum commenta Tyberius, de quo hæc adcepimus.

*Tacitus lib. 2.* Cum de domino in servos vetere Senatus cõsulto sive more majorum quærere tormetisve agere non liceret, Libonem autem è medio sublatum omninò vellet, cum deessent comdemnandi hominrs argumenta, *Callidus & novi juris repertor Tyberius* (ita loquitur doctissimus Historicorum) mancipari singulos actori publico jubet, ut sic ex hoc dominio in aliud translati quæstionibus contra Libonẽ subijci possent. Nec semel contentus hunc ludum ludere iteravit in servis Silonis. Verùm & hic, quanquam cavisse satis visus, vanissimũ tamen ejus εὕρημα fuit. Dum enim morem majorum sive vetus Senatusconsultum illæsum se præstare arbitratur, inpingit in jus Gentium, quo dominium transferre in aliũ dominum fas neutiquam est. Non igitur novi juris repertor Tyberius fuit, sed notę veterisq; injuriæ. Et quomodo scriptor novi hujus juris repertorem Tiberium adserere potest, cum Dio hujus inventi infamiam Augusto

ſto Tyberij anteceſſori adhibebat? Verba ejus hæc ſunt: ὅτι δ' οὐκ ἐξὸν ὂν δοῦλον κατὰ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν, ὁσάκις ἂν χρεία τοιοῦδε τινὸς γένηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν, ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξετάζηται, οἱ μὲν ἠτιῶντο, ὅτι ὁ νόμος τῇ τοῦ δεσπότου μεταλλαγῇ καταλύεσθαι ἔμελλεν: Quorum verborum ſenſus hic eſt: Et quia more majorum non liceret quæſtionem de ſervo in dominum habere, conſtituit quoties id uſu veniret ut is ſervus, qui interrogandus eſſet, vel reip. vel ipſi etiam Principi venderetur, uti cum jam ex rei poteſtate exiviſſet, de eo venditus interrogari poſſet. Sed ſi maximè Auguſtus auctor ſit, ineptum tamen & injurium inventum eſt. Unde non ſine cauſſa ſubjicit Dio, jam tùm quosdam reprehendiſſe, futurumq; dixiſſe, uti mortuo Auguſto Conſtitutio illa abrogaretur. Minus reprehenſioni vel hic vel ille obnoxius fuiſſet, ſi caſum Majeſtatis tanquam ſingularem excepiſſent. Nam antiquitus jam ei legi derogatum inceſtus caſu docuit nos Cicero, cuius verba; *de ſervis nulla quæſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium*. Verùm ferri hoc potuiſſet, illud & improbum eſt & omni exſecratione dignum, quod nimirum, cùm idem Tyberius in Sejani familiam ſæviret, legeque cautum videret, aut potius conſcientia turpi- *Dio. & Sueton.*

 tudi-

tudinem deregente fas esse non videret, virginem innocentem in carcere necare, filiam Seiani prius ſtuprari fecit à carnifice & tandẽ necari, ſic turpitudini occurſum arbitratus. Verba Græci Hiſtorici hæc ſunt: Τάτε παιδία αὐτοῦ (Sciani) κατὰ δόγμα ἀπέθανε, τῆς κόρης, ἣν τῷ τοῦ Κλαυδίου υἱεῖ ἐγγεγυήκει, προδιαφθαρείσης ὑπὸ τοῦ δημίου, ὡς οὐχ ὅσιον ὂν παρθενευομένην τινὰ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπολέσθαι. quæ Xylander ita latinè reddidit. *Liberi Seiani ex Senatus Conſulto necati ſunt, filia quam pactus erat Clauan filio, conſtuprata prius à carnifice tanquam impium foret virginem in carcere perire.*

Suetonius. Latinæ Cæſarum Hiſtoriæ Scriptor non ſemel ab eo factum perhibet. Ita enim ſcribit: *Immaturæ puellæ quia more tradito nefas eſſet, virgines ſtrangulari; vitiatæ prius à carnifice, dein ſtrangulatæ.* Claudius etiam Cæſar totius Romæ & aulæ ſuæ deridiculum idem peccatum peccare non dubitavit. Cum enim Agrippinæ impulſu Neronem ejus filium primùm adoptaſſet, poſtea generum ſibi etiam legiſſet, ne videretur contra leges ſororem fratri jungere, filiam prius emancipavit & alteri adoptandam tradidit. Sic Sophiſticam etiã Impp: Romani didicerant, & obſtruere totius Urbis luminibus volebant. Reperio & apud Græcos Sophiſticæ hujus exemplum. Erat Athenis inter XXX. tyrannos Theramenes, qui

quum

quum prudenter vidiſſet, triginta tyrannorũ ſævitiam diu conſiſtere non poſſe, (nullum quippe violentum diuturnum) Thraſibuli etiam, juſſu tyrañorum exſulis, virtutem probè cognitam haberet, moderationem ijsdem ſuaſit. Verum Critias inter 30 illos facilè crudeliſſimus metuens, ne, ut artifex erat Theramenes, aliquid contra ſtatum & ſeſe moliretur, graviſſimè eũ apud ſocios accuſat, dãnariq; petit. Theramenes excuſat ſe rationibus in medium productis, cur moderationem conſiliorum ſuaſerit, violenta non durare: noſſe ſe magnitudinem animi acti in exſilium Thraſibuli, qui conlecta junctaq; ſibi exſulũ multitudine non omiſſurus ſit patriæ recuperãdæ conſilia. Sed pervicit Critiæ furor: cumque extremum ei lex proponeretur, quę Theramenem tuebatur, qua perſcriptum erat, ne quis Conlegarum in Catalogo ſcriptus ſine judicio necaretur: Critias, ne inquit, ultra Theramenes lege hac tueri ſe poſſit, ecce nomen ejus deleo, deletumq; poſtea occidi juſſit. Cæterum hujus Sophiſtices circa pacta fœdera aut conventa ab aliis innumera ſunt adlata exempla. Inprimis autem à Bodino li. 5. cap. 6. de Rep. & à Magno Alberico Gentili in libris de jure belli. Nos hiſce circa leges impoſturis hoc loco contenti ſimus.

# CAPUT V.

## *Quædam de studiis principum.*

*Trebellius Pollio.*

Cùm inciderem in non ignobilem Historiæ Augustæ scriptorem, in vita Gallieni alterius, locus mihi occurrit meo judicio non insuper habendus. Est autem iste: *Fuit, ut ait, Gallienus oratione, poëmate atq; omnibus artibus clarus. longum esset ejus versus orationesq; connectere quib. suo tẽpore tàm inter poëtas, quàm inter Rhetores emicuit. Sed aliud in Imperatore quæritur, aliud in oratore vel in Poëta flagitatur.* Quo loco lecto, cogitare cœpi, quænam studia Principum essent propria. Circumtuli igitur animum per historias, & initio quidem discrimen studiorum principalium & vulgi facile fuit haurire. Occurrit primum locus Livii de Servio Tullio: Ita autem ille: *Inde puerum liberũm loco cœptum haberi erudiriq; artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur.* Et alius de Augusto: *Genere dicendi Græcè & Latinè exercebatur, militiæ labores perferebat, perdiscebat omnia quæ ad Remp. quæve ad Regnum pertinerent.* Idem ab Agrippinâ factum in institutione Neronis.

*Dio. Suetonius.*

Claudio enim, ut legimus, persuasit, uti filium suum Domitium Neronem adoptaret,

ret, quo facto, statim eum ad principatum à Seneca institui erudirique curavit. Quæ igitur dicas Principum juventutis studia arbitraris? Paucis ea expediam. De pietate nihil moneo, quæ fundamentum esse debet omnis principalis Institutionis. Hanc ubi princeps puram & sine fece imbibit, ad eloquentiam eum primùm duco, monitus à Luciano, qui in Dialogo, quem προλάλησιν inscripsit, fingit Herculem Ogrisium catenulis ex ore pendentibus ingentem hominum turbam auribus suspensam ad se trahere. Quo figmento innuit, bonum principem facundiæ sive eloquentiæ beneficio subditos maximè in officio continere posse. Musonius item apud Stobæum ait: principem dicendi facultate minimè superari maximè regium esse, haud enim pauciores orationis flumine quàm armis vinci. Verba ejus sunt: *καὶ δὴ βασιλικὸν μὲν ἔτι ἄλλο καὶ τὸ ἀήττητον ἐν λόγῳ εἶναι καὶ δύνασθαι κρατεῖν, ὥσπερ ὅπλοις τῶν μαχομένων, οὕτω λόγοις διαλεγομένων.* Neq; verò Principem exhaurire velim omnem Rhetorum Oceanum aut omnes Oratorum capsulas; sufficere illi potest non impedita sermonis suavitas, ne respondeat idem quod olim apud Euripid. suo monitori respondit Princeps quidam; *μή μοι τὰ κομψὰ ποικίλοι* Stob. c. 43.
*γενοίατο, ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ μεγάλα βουλεύοντες ἐα.*

Non debent de levibus negotiis Principes doceri, sed de illis, quæ reip: maximè necessaria sunt. Ab eloquentiæ studiis voco Principem ad studia philosophica, non illa subtilia, quæq; doctiorem solum faciunt, rarò meliorem, sæpè etiam improbiorem, Quot enim subtilibus ingeniis Philosophicorum studiorum deliciæ ad atheismum prævêre? Et princeps non Scholæ, sed vitæ & subditis discere debet. Igitur Theoreticæ Philosophiæ studium amœnitatis caussa delibare potest, probaturq; mihi illud Neoptolemi Enniani; *Philosophandum paucis esse, nam omnino, non placere.* Quod A. Gellius, ut solet, pulchrius ita reddidit; *Degustandum ex Philosophia quidpiam, non in eam ingurgitandum.* Idem apud Philostratum Apollonius quoq; intellexit, cujus hæc notatu digna verba sunt: *Philosophiæ studium in Rege si moderatum sit, mirandam efficit tēperaturam: sed nimia in eodem studio occupatio odiosa & molesta est, adeoq; humilior; quam ut scena regali conveniat.* Qua caussa Neronē mater Agrippina vehementer increpuit, eundemq; salsissimè Petronius Arbiter ac Persius cavillati sunt. Male item audivit hoc nomine Marcus Antoninus Imp. cui ex īmodico philosophiæ studio Philosophi cognomentum adhæsit, de quo ita non nemo queritur in historia Augusta: *Ubi disciplina omnis majorum? quæ olim qui-*

*dem*

*dem intercidit, nunc verò nec quæritur. Marcus Antoninus philosophatur, quærit de clementia & de animis & de honesto & justo, interim nec sentit pro rep. Vides multis opus esse gladiis, ut antiqua reip. forma reddatur.* Sic apud Zonarã multi Imperatores Græci eo nomine improbãtur, quod rep. omissâ domi Philosophicis disquisitionibus inhærerent, & apud medij ævi Historicum Julianus, Græcus literio audit publico Urbis dominæ convitio, quod nimius circa philosophorum disputationes esset. In Philosophicis tamen Theoreticis studiis Mathematica maximè eum doceri velim, sumorũ Principum exemplo & plurimo etiam usu. Necessarium.n.est, Principẽ regiones, populos, regna, provincias, transitus, portus in animo descripta habere; syderum item doctrinâ non leviter imbutum esse. Iulius ille Cæsar apud Poëtam,

*Avidius Cassius apud Gallicanum.*

*Ammianum Marcellinum.*

*media inter prælia semper*
*Stellarum, cœliq; plagis superisq; vacare*
*Solebat.*

*Lucanus* l. X. v. 185.

Alphonsus X. Hispaniarum Rex adeô Mathematicis deditus fuit, ut ipse à suis Astrologus & â nomine ipsius tabulæ Mathematicæ Alphonsinæ denominatæ sint. Carolus etiam V. Romanorum Imperator, rebus præclarissimè gestis magno illi Carolo Germano secundus, adeò Mathematicis delectatus fuit, ut nec in ipsis castris studium hoc ne-

gligeret. Testatum amicis Petrum Apianum legimus, se in bello Germanico Ingolstadio (ubi Petrus vivebat) ad Carolum in castra Urbi vicina evocatum fuisse, uti in machina certis rotulis orbes circumducentibus repræsentante Planetarum motus proprios adspicienti certius & adcuratius singula monstraret; cujus ejusdem belli tempore, ut ardorem erga hæc studia magis vulgaret, familiarissimè secum habuit Turrianum Cremonensem magni nominis Mathematicũ. Plura videantur in Henrici Ranzovii Catalog. Neq; verò Mathematicarum disciplinarum nomine nugatoriam illam Astrologiam intelligo, quæ geneses indagat & in actus hominum inquirit; Ea enim Principi cum maximè fugiẽda, tũ quia impia & Dei Opt. Max. prævaricatrix, tum quia superstitiosum eum facit & timidũ. Alexander certè Magnus animi corporisq; æger sacrificantibus, lustrantibus, divinantibus regiam implevit, & plenus ipse malis curisq; mortem dum fugit, adcersivit. Eodem morbo laboravit Ludovicus XI Galliæ Rex, de quo vide, quæ Cominæus scribat; nec desunt hodieq; exempla. In Philosophia naturali voluptatis honestæ causa versari aliquãdiu potest, sed ita, uti nec moretur cũ rerũ jucũditas, nec item ingenii subtilitas. Sũma, ut pulcherrimè & verissimè Ciceronis

verba

verba mea faciam; *didici ego compertumq; habeo, Reges & Principes ab Theoretica Philosophia subtiliori studio laudari non solere.* Itaq; ab iis Principē abducere malo: Magis placet Encomium quod Alphonso Arragonio Vir magnus Johan. Isara, acutissimi judicii homo tribuit: *Si*, inquit, *Alphonsus Rex non fuisset, summus poterat fieri Philosophus.* Valdè etiam illud, quanquam alio sensu Historici de Eutherio Eunucho dictum Principi convenire arbitror: *literis, quantum tali fortunæ satis esse poterat, eruditus.* Ammian. Marcellin. Tali igitur modo institutus Princeps ad alteram Philosophiæ partem Practicam videlicet mittendus est, quod illi proprium debet esse studium. Politica autem doctrina ei præcipuè discenda: τὸ γὰρ πλέον (inquit doctissimus Geographus) τῆς πολιτικῆς περὶ τοὺς ἡγεμονικοὺς βίους καὶ τὰς χρείας, hoc est, *Politica in vitis Principum gubernandis, docendisque iis, quæ ad usum reipublicæ pertinent, maximè occupatur.* Præsuppono autem Principem à natura aptum esse ad capienda salutaria monita. Nam inepti tardi & stupidi, tàm Imperio idonei sunt, quàm asinus lyræ, similesq; adeò Metellis illis fratribus, de quibus ad Numantiam Scipio; *si quintum pareret eorum mater, asinum parituram.* Aptus verò & idoneus à natura Princeps primùm doctrinâ præstantissimorū Politicorum imbuendus

endus eſt, qui libri ſine adfectu docent, quæ ſequenda, quæ fugienda, ut eleganter vereq; cenſuit nunquam ſatis laudatus princeps Alphonſus Atragonius. Dicebat enim, *meliores vivis, mortuos ſibi Conſiliarios eſſe, libros intelligens, qui neq; metu, aut pudore, non gratia aut odio alio-ve adfectu moti, verum ſibi nudè ſimpliciterq; declararent.* Quod ipſum Veterum quoq; monitum fuit. Marcus enim Varro Cneo Pompejo Conſuli primùm deſignato commentarium rogatus dedit, quem Iſagogicum adpellavit, de officio ſenatus habendi, ut auctor eſt Agellius lib. 14. cap. 7. Demetrius etiam Phaleræus apud Plutarch. Ptolomæo diligenter ſuadet, uti Commẽtarios de regno ſibi paret, diligenterq; evolvat. Sic Livius ab exordio Romæ Commentariorum Numæ meminit: Xiphilinus Commentariorum Cæſaris. Rationarij Auguſti Tacitus, quod quadripartitum fuiſſe Xiphilinus teſtatur. Commentarij Amurathis Turcarum Imperatoris meminit Sorantius. Quin & ipſi principes ſuis hæredibus monita politica diligenter conſcripſere ad uſum & cautelam. De libris Auguſti ita Xiphilinus, *In prima Rationarii parte ſcripta erãt, quæ ad funus pertinebant; ſecunda continebat res omnes ab eo geſtas, quas in columnis aneis ad ſepulchrum ſuum conlocatis inſculpi juſſit; in tertia erant ea, quæ ad milites, quave ad re-*

ditum,

*ditus, sumptusq; publicos & ad eam pecuniam: ac thesauros, cæteraq; ejusdē generis spectabant, quibus principatum, quem habebat, tueretur. In extremo præcepta dabat, Tiberio & reip: præsertim, ne multis libertatem darent, quo minus Urbem cujusq; generis multitudine implerent, utq; paucos donarent civitate, quo plurimum differrent ab his, quos in potestate haberent: monebat ut remp. committerent iis, qui usu & experientia rerum plurimum possent, nec eam sinerent ullo tempore ex unius voluntate pendere, ne forte is in regni cupiditatem veniret, aut ne adversa eo passo resp. periclitaretur.* Consulebat ut contenti rebus præsentibus augere, & dilatare Imperium nollent, quod futurum esset, ut id tuerentur difficilius, quodque immineret periculum, ne et partum jam imperium amitterent. Scribit idem Xiphilinus, Neronem quoq; libellos habuisse τῆς ἀρχῆς. Constantius Imp. Leonis Philosophi filius talem quoque librum filio Romano scripsit, reliquitq;, eum postea in Bibliotheca magni Thesauri loco servatum scribit Egnatius in ejus vita. Ammianus Marcellinus de Juliano contestatur, legisse eum adsiduè libellum, quem Constantius propriâ manu sua conscripserat, cùm studiorum caussa eum mitteret in Parisiensem Academiam. Fuêre hi libri adpellati Breviaria, Rationaria, Instrumenta Imperii à Græcis βιβλία τῆς ἀρχῆς. Item, οἱ τῶν ὑφ' ἡμᾶς σεκρέτων

*lib. 16. p. 67.*

*a Tacit.*
*b Sueton.*
*Xiphilinus*
*In Constit. AlexiiComneni.*

σεκρέτων χάρτιοι. JCti, libros hos etiam latercula adpellavêre, ut videre eſt l. 2. §. item notitia. C. de offic. Præf. Præt. l. 1. 2. 3. C. de offic. quæſtoris. Adparet fuiſſe duplex laterculum majus & minus. Meminit & Tertullianus adverſus Valentinianos, Reperio & tabularia Cæſarum dictos, Seneca ſummaria vocat, l. abeſſe, 32. ff. Ex quib. cauſ. major. vig. an. &c. fit mentio commentarii Principis, ſed eum puto fuiſſe, qui ſcriptoribus aliis liber beneficiorum. Scrinia Canonum quoq; legi, quæ ad noſtram materiam pertinere arbitror. Ad extremum, ut monuit nos *Guidus* Pancirollus, libri iſti notitia Imperii, adpellati ſunt. In his igitur & ſimilibus libris de Rep. regunda à Platone, Ariſtotele, Plutarcho, poſteritati relictis, multus ſit Princeps, eritque nobis ſatis eruditus. Adcedat ad hanc eruditionem conſuetudo prudentum. *Ut enim, qui in ſole ambulant* (ut eleganter Seneca) *quanquam in hoc non ambulant, colorari tamen eos neceſſe eſt: Ita qui prudentum conſuetudine delectatur, eâq; utitur, non poteſt non etiam prudentia imbui.* Sic Scipio Africanus Polybium Panætiumq; perpetuos ſibi habuit comites: Lucullus Antiochum, Scipiones Juniores utrique Lælium, Auguſtus Agrippam & Statilium Taurum; Nero, quamdiu probus, Senecam; Themiſtocles Mneſiphilum, Pericles Anaxago-

naxagoram, Dio Platonem, Philippus Macedo & Epaminondas Lysiam Tarentinum, Alexander Aristotelem, Ptolomæus Demetrium Phaleræum, Cicero Nigidium, alij alios. Hinc Poëtæ fingunt, magnos Principes filij suis addidisse statim sapientes monitores. Princeps Poëtarum, latinæ mundiciæ venus, Evandrum introducit filium, Pallanta Æneæ commendantem his versibus:

*Hunc tibi præterea spes & solatia nostri*
*Pallanta adjungam, sub te tolerare magistro*
*Militiā & grave Martis opus, tua cernere facta*
*Adsuescat, primis & te miretur ab annis.*

Idem Poëta Epytidem Julo Æneæ filio à patre custodem additum scribit. Sic apud Valerium Flaccum Chiron Achilli additur,

*monitus qui tradat ut acres,*
*Magnorumq; illum qui laudibus urat avorum.*

Hi tales monitores Latinis dicti, Græcis μνήμονες, ut docuit copiosè amicus noster Vir Clariss. Johannes Meursius ad Cassandrā Lycophronis, pag. 158. Symmachus Phœnicem monitorem Achillis adpellat, quem Lycophron μνήμονα ejus; Pacatus in panegyrico Tybrim Æneæ monitorem. Videatur & Statius lib. 5. sylvarum in Epicedio Patris; Tertullianus Apologetici cap. 30. Apulejus Milesiâ 10. Tales monitores reperio apud Servium Romanis adolescentibus anno stipendii

*Secund. Recordatus.* pendii primo additos, quo cum sentit Plautus Mostellariâ.

*Ad legionem cum itant adminiculum ei danunt aliquem cognatum suum.*

Memorabile Exemplum est quod scribit Alvarus Gomesius lib. 5. de rebus gestis Francisci Ximenii, *Cum*, inquit, *Ferdinandum puerum cum Ximenio deambulantem rex Ferdinandus Avus è fenestra palatii conspexisset: voce intentiori dixisse fertur: Euge nepos tali comite, à cujus latere si quid mihi credis numquam discedes.*

Requiro autem talium etiam consuetudinem, qui non solùm togatæ prudentiæ Consulti sint, sed & qui militaris. Utriq; enim tempori pacis & belli formandus est princeps. Laudatur à Capitolino Severus, uti ego censeo non immeritò his verbis: *Fuit illi consuetudo ut si de jure ac negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet amicos, si de re militari, milites veteres ac senes & benè meritos, locorum peritos, bellorum & castrorum: Maximè tamen utrobiq; eos, qui historias norant.* Quæ extrema verba Historici studii meminisse me jubent, quod mihi in Principis Institutione utramq; facit paginam. Rectè enim Polybius: ἀληθινωτάτη ἐςὶ παιδεία καὶ γυμνασία πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις ἡ ἐκ τῆς ἱςορίας μάθησις. Nec minus Diodorus Siculus, ἡ διὰ τῆς ἱςορίας περιγινομένη σιωέσις τῶν ἀλλοτρίων ἀποτευγμάτων δὲ καὶ κατορθω-

κατορθωμάτων ἀπείρατον ἔχει διδασκαλίαν. Καλὸν γὰρ τὸ δύνασθαι τοῖς τῶν ἄλλων ἀγνοήμασι πρὸς διόρθωσιν χρῆσθαι παραδείγμασι, καὶ πρὸς τὰ συγκυροῦντα ποικίλως κατὰ τὸν βίον ἔχειν μὴ ζήτησιν τῶν πραττομένων, ἀλλὰ μίμησιν τῶν ἐπιτετευγμένων, hoc est, *comparata historiæ beneficio prudentia aliorum perperam rectéq; facta intelligens vacuam à malorum experimentis doctrinam habet. Nam aliorum erratis ad rectam vitæ institutionem pro exemplis uti & ad varios in vita eventus, non quod gerendum sit quærere, sed quod rectè factum est, imitari, pulchrũ est, nec utile minus.* Rationem hujus rei exinde haurire licet: Inquit Jurisconsultus Paulus, Historiam & Politicam mutuas sibi operas tradere; Historiam facta narrare, politicen jus factorum anquirere. Jam, teste Aristotele, ut plurimum præteritis futura similia sunt, & eadem nunc quæ olim agitur fabula, mutatis solũ personis. Ex eorũ igitur narratione & διηγήσει facile est doctrinam capere. Unde adsentior Xiphilino dicenti: mihi quidem in eo magna vis esse videtur, si acta & eventus rerum ex cujusq; consiliis quemadmodum inter se consentiant judicaverimus, & ad nostrum usum accommodaverimus. Verum audio jam susurros Gnathonum aulicorum: quem tu nobis hominem de schola fingis? an ferulam illum pro sceptro gestare vis, & militem ex libris, sicut ille *nau-* *Galenus.*

*tam ex commentario facere postu as?* quibus igitur sese obl. ctabit exercitijs? quibus animum reficiet voluptatibus? Bona verba, Amici: neque enim ea n. gantur, partiri cum tempora volo, nec hon. stis ac decoris exercitijs fraudare. Ea autem sunt equitare, armis uti, saltu, natatu, lapide proijciendo, cum æqualibus certare, venationibus operam dare, aliisque firmando robori exercitiis suo tempore vacare. Hæc Ascanius Æneæ apud Virgilium factitat: hæc ex voluntate Patrum omnis retrò ævi, recentiorisque Principes juventutis. Sic Magnus ille noster Carolus suos filios, Urspergensi do. ente, formari jussit. Cęterùm quando seria ista videri possunt & jocularia sæpè queruntur, nihil prohibet, Principes etiam p. r otium mechanicis operis occupari, dummodo eas exerceant & tractent, quæ non nimis sint inliberales. Non sine caussa reprehenditur ab Historicis Domitianus, *quod voluptatem ex muscarum cæde, quas acuminato concutiebat bacillo, quæreret*, nec minus ex Jure Cõmodus à Lampridio perstringitur. *quod artifex esset in his, quæ stationis Imperatoriæ non essent, calices videlicet fingeret*, (ubi tamen CASAUBONUS unicum eruditionis humanæ theatrum (frangeret) legendum putat, qui consuli potest) saltaret, cantaret, sibilaret, deniq; scurrã & gladiatorem se perfectum ostenderet. Neque

que laudem in Principe Exercitia ea, quę sanguinem proliciunt, ut si quis *lanium agere velit, pecudes mactare*, quæ feri & crudelis animi documenta sunt. Sunt quedam mechanicæ artes humaniores & veluti cognatæ liberalibus, qualis est pictura, in qua Alexander Severus & Adrianus Imperator Historicorum etiam elogijs fuere celebres: quò pertinet & *Statuaria*, à cujus peritia Xiphilino & Spartiano commendatur idem Adrianus. *Torneatores* his vicini, recentius artis genus, commendatum tamen propter Sigismundum Polonum fortissimum & sapientissimum Principem. *Aurifabros* etiam Principes legimus. Scribit Collenutius, Manfredum Neapolitanum omne fortuito territum tali: properanti, inquit succurrere suis, in anteriorem ephippij partem cadit aquila argentęa, quâ, suis manibus proprijs fabrifacta utebatur pro insignibus in summa galea. Ex qua re statim male ominatus, hoc, inquit, est signum Dei. Alphonsum Ferrariensem tormentornm fusorem fuisse legimus, quorum duo fudit bello Veneto, eorum alterum Terrę motum adpellavit, alterum Grandiabile. De Jacobo IV. Scotiæ Rege Buchananus ita scribit lib. 13. Vnum è vetusta gentis consuetudine hausit avidè, ut vulnera scientissimè tractaret; cujus rei peritia toti Scotorum nobili-

*lib 4. hist. Neapolitana*

bilitati, ut hominibus in armis aſſiduè viventibus, fuerat priſcis temporibus communis. Collenutius Federicum Secundum Neapolit. Regem ſcribit omnium penè artium mechanicarum fuiſſe peritum, nec peritum modò, ſed & inſignem artificem. Neq; hodie deſunt exempla ſummorum Heroum, quæ Principes juventutis imitentur. Atq; hæc quidem de ſtudijs Principum obſervare nobis licuit, quæ ſi animo adcipiat Princeps, dubitandum nihil eſt, quin ſignum ad benè de ſe ſperandum ſubditis ſuis ſublatum ferat, ſi præſertim adcedat virtus Inſtitutorum, in qua quantum ſitum ſit, paucis monuit verbis Lampridius cum mirabūdus exclamat; *Tantum valet aut ingenij vis, aut eorum, qui in aula Inſtitutores habentur.*

in Cōmodo.

## CAPUT VI.

### *Veterum erga bene meritos ſtudium & grati animi teſtificatio.*

QUanquā in ea incidimus tempora, quibus nec vitia noſtra, nec remedia pati poſſumus, quāquam item, cum laudanda facere deſierimus, miri nihil ſit, honeſtè facta non laudari: tamen ut convitium huic effœto ſeculo faciamus, placet paucis diſpicere, quo

quo animo veteres erga benè de ſe patriaque meritos fuerint, cumq; nobiliſſimæ olim reſpp. fuerint Athenienſis & Romana, ex hiſce duabus, quæ in rem noſtram erunt, conligemus. Quia item omnium præmiorum duo ſunt genera, quædam ſolum τιμῆς σημεῖα, quædam autem cum κλήματος δόσει copulata, nos priorum maximè rationem habebimus, ſic tamen uti nec poſteriora negligamus. Ac primum quidem reperio benè meritis addita cognomina. Sic Quintus Metellus poſt reſtitutum patrem cognomentum Pij adeptus eſt, quod ſibi Æneas apud Principem poëtam tribuit, ut auctor eſt Vellejus Paterculus. Scipionem Naſicam *optimum* à ſenatu Romano adpellatum legimus: Attilium à populo *ſapientis* elogio decoratum meminimus, l. 2. ff. de orig. jur: Sempronium *maximæ ſcientiæ virum* σοφὸν dictum, teſtatum reliquit Pomponius. Alter honor erat *ſtatuarum ponendarum* vulgatus & protritus, de quibus aliàs à nobis dicetur. Tertium facio *Domus exſtructionem* ex Publico, qui honor habitus Claudio à ſenatu, *Sueton. in vita eius cap. 6.* cenſuit enim ut domus ei, quam incendio amiſerat, publicâ inpensâ reſtitueretur. Quod idem contigiſſe Caro Imperatori ex Probi *Vopiſcus in Caro.* Auguſti ad ſenatũ Epiſtola conſtat, quæ hæc eſt: *Probus Auguſtus amantiſſimo ſenatui ſuo ſalutem dicit: Fœlix eſſet noſtra reſp. ſi qualis Carus*

 *eſt,*

*est, aut plerique Vestrum, plures haberem in aedibus collocatos: quare equestrem statuam Viro morum veterum, si vobis placet, decernendam censeo, addito eo ut publico sumtu eidem exaedificetur domus, marmoribus a me delatis: Decet enim nos talis integritatem remunerari Viri.* Quartum honorem facio προεδρίαν, hoc est, *jus sessionis in primo loco.* Erat id quoque jus hujusmodi; ut qui eo donati fuissent, possent in Senatu, concione & Theatro sedem capere, quamcumque libitum esset, alijs etiam excitatis, si qui fortè priores occupassent. Auctor Scholiastes Aristophanis in Equitibus: προεδρία τιμῆς τρόπος. ἐξῆν δὲ τοῖς τιμῆς ταύτης τυχοῦσι, καὶ ἐν βουλευτηρίῳ, καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐν θεάτρῳ, καὶ ἐν ἄλλῳ παντὶ συλλόγῳ τοὺς προλαμβάνοντας οἵτινες ἦσαν ἐξεγείραντας, αὐτοὺς εἰς τὸν ἐκείνων τόπον καθίσαι. Fruebantur hoc honore praecipuè Praetores & exercituum Duces, ut adparet ex capite περὶ ἀρεσκείας Characterum Theophrasti, ubi describitur ambitiosus ex eo, quod adfectet προεδρίαν, adsideatq; in Theatro Praetoribus ipsis. Notavit praeterea summus vir *Casaubonus*, fuisse hoc jus etiam hereditarium & ferè ad maximum natu è liberis solitum transferri, fidem rei faciente non uno loco Plutarcho. Etiam ut defunctorum liberi eo uti possent, peritum impetratumq; . Adcidit id in Demosthene & exstat apud Plutarchum

chum ψήφισμα Democharis ea fine scriptum. Pertinet etiam ad hanc materiam, quod benè meriti *publico sepulti sunt sumptu*, quod accidisse novimus Suræ Licinio, jubente Trajano, additâ statuâ, ut auctor est Dio, quod item *dotatæ filiæ* sunt, quod factum filiabus Scipionis & in Atheniensi rep. Aristidis, de quibus ita scribit Historicus: Filias paternæ virtutis causa publico ære matrimonio elocatas. Quod æmulati sunt Veneti omnium bonorum morum & legum æmulatores diligentissimi. *lib 1. pag 27. hist. Venet.* Ut enim scribit Bembus, Centurioni benè merito dos, quam filiæ daret, numerata, auri ternæ libræ. Quin constitutum Athenis fuisse legimus, ut eorum, qui pro patria belligerando occubuissent, liberi ex publico alerentur, ut auctor est Aristot. 2. Polit. Thucydid. lib. 2. Cicero 14. Philipp. Victus illis præbebatur in Prytaneo, ut docet Pollux lib. 8. Cicero 1. de Orator. Quod Venetos item æmulatos video. Lego enim apud eund. Historiæ Venetæ Scriptorem Damiani Mauri bellicis ex laboribus mortui duabus filiabus dotis nomine 40 libras auri cōstitutas ex publico. Sacerdoti autem nomine, si ei se vitæ dederent, senas libras. Est & hoc memorabile, quod veteres Romani benè meritis de rep. Viris, honoris sui causa permisere, ut cum aliqua *inusitata pompa in pu-*

*blico* adparêrent. Sic, Cneo Duillio concessum est, ut prælucente funali & præcinente tubicine, quoties foris cœnasset, domum rediret. Auctores sunt Cicero de Senectute. Item in Oratore ad Brutum, Plinius sive quisquis est author libelli de Viris illustrib. cap. 38. Valer. Maxim. lib. 3. cap. 6. Et eleganter id extulit Silius Italicus lib. 6. extremo;

*Exuvias Marti donumq; Duillius alto*
*Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat,*
*Cui nocturnus honos funalia clara, sacerq;*
*Post epulas tibicen adest, castosq; Penates*
*Insignis læti repetebat murmure cantus.*

Quibus versibus & caussam hujus honoris exprimit, de qua Florus ita lib. 2. Duillius, qui primus navalem victoriam reportavit, præter Triumphũ unius diei per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia & præcinere tibias jussit. Geminus huic honor fuit, qui permissus Cornificio, cui quod periculosissimè bello Siculo circumventus exercitum tamen hostibus eripuisset, quoties domi non cœnaret, permissum fuit, ut elephanto vectus domum rediret, ut author est Dio lib. 49. qui idem Dio scribit, Cæsarem post epulũ Triumphale cum insigni hoc honore vesteq; Triumphali, vesperi domum rediisse: cui etiam ædes publicas ex Decreto concessas addit, de quo nos supra. Lucio Æmilio Paulo

Macedo-

Macedonico concessum scribunt, *ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur:* quem honorem Pompeio quoque datum Vellejus lib. 2. auctor est. C. Mario Livius lib. 67. Capitolinus in Gordiano III. docet, Familiæ Gordiani ob præclara merita in remp. ejus hoc Senatum decrevisse, *ut à tutelis atque legationibus & à publicis necessitatibus*, nisi si vellent, posteri ejus semper vacarent; quod rarũ exemplum privilegij ab Atheniensibus procul dubio adcepit senatus, quib⁹ solemne benè meritis dare ἀτέλειαν λειτουργιῶν, ut docuit nos q. docet omnes, ex oratione Demosthenis contra Leptinem, seculi nostri phœnix Casaubonus. Atque hæc quæ hactenus vidimus, humana sunt præmia. Ceterum si Historias inspiciamus, non contenti fuêre Veteres hisce honoribus, sed & Diis eos æquiparare connixi sunt. Primum enim Athenienses suis præsidibus *Pæana cecinêre*, qui honor Deorum alioqui proprius. Erat id genus Carminis complectens laudes eorum, quorum nomina recitat Athenæus in Deipnosophista. Item *intexebant eorum nomina Peplo Minervæ*, de quo ita Arsenius: ἔθος ἦν τοῖς Ἀθηναίοις ὑφαίνειν τὰς παρθένους τῇ Ἀθηνᾷ. Πέπλον ἔχοντα τὰς ἀριστείας τοῦ θεοῦ πολεμικῆς οὔσης καὶ, ἃ κατὰ γιγάντων κατεπράξατο μετὰ τοῦ Διός. Ὕφαινον δὲ ἐν τοῖς παναθηναίοις. τὰ δὲ παναθήναια ἑορτὴ τῆς Ἀθηνᾶς, πάντων Ἀθηναίων συ-

ιόντων ἐκεῖσε, καὶ τῶν ἄλλων ἑλλήνων πολλὰς ἡμέρας πανηγυριζόντων ἀνετίθετο δὲ ὁ πέπλος τῇ ἀθηνᾷ. Cui geminus est locus Suidæ, Paraphraste VVolfio: Peplum est velum Panathenaicæ navis, quam Athenienses Minervæ quarto quoque anno, instruebant, cujus etiam pompam per Ceramicum Eleusinem usq; ducebant. Peplum autem hoc vocarunt, quod laneum sit. Depictus in eo est Enceladus, quem Minerva sustulit (fuit is unus ex Gigantibus) Athenienses, victoria parta, peplum fecêre Minervæ, & optimos quosq; in eo depinxêre. Paulo aliter Lutatius Statii vetus & doctus Interpres, cujus verba hæc sunt: *Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulachris fiebat.* Sed hoc peplum primum est ab Atheniensibus institutum, quod matronæ suis manibus faciebant, & inter quinquennium numinibus offerebant. Ex hoc autem more intexẽdi nomina magnorum Virorum Peplo natum est proverbium ἄξιος ἐστι τοῦ πέπλου. Usurpavit Aristophanes in Equitibus, cujus verba sunt;

Εὐλογῆσαι βουλόμεσθα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι
ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς ἄξιοι, καὶ τοῦ πέπλου.

Unde Aristoteles librum suum, quem de Heroum tumulis confecerat, Peplum adpellavit. Virgilius etiam Messalæ gesta magno vult intexere peplo. Diodor. Siculus in honori-

*In Ciri.*

noribus Antigono Demetrioq; etiam huic recenset, ut uterq; Minervæ Peplo intexatur. Apud eosdē Athenienses magni beneficii loco præstantibus Viris ac de se benè meritis deferebatur *jus participandi sacris ipsorum*, quæ ipsi ἐλευσίνια vocabant, quo honore adfecère primū Herculē & Castoras, ut author est Aristides, postea Hippocratē ejusq; filiū Thessalū. Labente ævo postea pluribus quandoque etiam per adulationem coolatus est hic honor, ut auctor est, horumque Catalogum texit Athenæus Romanis etiam principibus ab ijsdem delatus; Augusto, Marco Antonino, Pōponio Attico, alijs. Æmulati sunt hæc quoque Romani. Nam religioso carmini, quod Saliare ipsis dicebatur, nomina Virorum benè meritorum inserebantur. Videantur, quæ de Mamurio Veturio scribunt Varro, Plutarchus, Festus, Ovidius. Apud Tacitum lib. 2. inter alios honores hic quoq; Germanico mortuo tributus. Et Marci Antonini filio apud Capitolinum jussu patris. Fœminæ etiam cuidam tributum lego Luciæ Volumniæ, de qua cōsulendi ijdem quos modò citavi, auctores. Quem morem, ut ad *lib.6.cap.14.* Athenæum Casaubonus notavit, æmulati sunt Christiani. Martyrum enim nomina Imperatorum, Pontificumq; Dyptichis sacris inserta inter Hymnodias recitari fecerunt.

cerunt. Quin & picturis utebantur Romani, & res gestas Virorum magnorum pingi in tabulis curarunt, ut facta præclarè pictura loqueretur. Sic teste Capitolino, Maximini bellum pictum ante curiam propositum fuit. Severi item bello gesta in in porticu depicta, ludorum etiam magnificentia Carini in porticu coloribus expressa stabat teste Vopisco. Atq; hæc de præmijs Veterum hoc loco dicta subficiant.

## CAPUT VII.

### *De variis variarum familiarum notis cùm genitivis, tùm gentilibus.*

VErsanti mihi in historicis sæpè obcurrêre lusus naturæ, ut mirabiles ita jucũdissimi, quorum complures etiam Oratione quondam compræhendi. In eorum autem numerum sæpè dubitavi, jure ne referri possent notæ istæ Genitivæ Gentium quarumdam & familiarum, ut adpellat Suetonius. Aristoteles in arte Poëtica σημεῖα σύμφυτα, de quibus quæ notata mihi in hoc caput referre placuit. Neq; verò valdè moveor Pelopidarum humero eburneo, de quo Hyginus.

fab. 82. *Pelops Tantali, inquit, & Diones Atlantis filiæ filius*

*filius cum esset, in epulis Deorum à Tantalo cæsus brachium ejus Ceres consumpsit: Ipse autem à Deorum numine vitam recepit, cui cum cætera membra, ut fuerant coiissent, humero non perpetuo, eburneum ejus loco Ceres aptavit.* Quod signum Pelopidæ deinceps habuerunt. Fabulosum quippe cum existimo: quanquam usurpare exempli loco videam Magnum Theologum Gregorium Nazianzenum in insigni Epistola ad Themistium Euphraden: Σπαρτιάτας inquit, ἡ λόγχη γνωρίζει, ὦμος τοὺς Πελοπίδας, τὸν μέγαν Θεμίστιον λόγοι. Spartiatas ut lancea; ut Pelopidas humerus: ita magnum Themistium erudita prodit facundia. De Spartiatis quod dicit Nazianzenus adcepit ab Aristotele procul dubio: cujus hæc sunt in lib. de poët. verba: *signa ingenita aliqua uti lancea quam terrigenæ gestare solent. Statim enim, ubi ex terra prodibant, lanceati erant.* Id verò propius videtur, quod scribit Heliodorus, lib. 10. de Chariclea Hydaspis Æthiopiæ Regis filiâ quam cum contra gentis indolem cãdidissimam pulcherrimamq; pepererat, ex adspectu crebro pulcherrimę imaginis in cubiculo suspensæ, solicita mater, ne in suspicionẽ adulterii veniret, ad amicos misit, quæ post multa exsilia tandem reversa agnita fuit ex nota genitiva majorum in brachio, quæ erat *orbiculus niger forma lapidis Hebeni.* Pluri-

mi

mi; item Scriptores Seleuco Antiochi Regis filio notam genitivam tribuũt *anchoram nauticam.* Ausonius in Urbibus de Antiochia,

*——— ——— ——— illa Seleucum*
*Nuncupat ingenuum cujus fuit anchora signum.*
*Qualis inusta solet, generis nota certa, per omnem*
*Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.*

Ubi Inlustris Scaliger: INGENUUM SIGNUM recte interpretemur σημεῖον σύμφυτον. Caussa ejus signi à Justino lib. 15. c. XII. hæc adfertur; *Seleuci, inquit, mater Laudice, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi Duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, gravidamq; factam, munus concubitus à Deo annulum adcepisse, in cujus gemmâ anchora sculpta esset, jussa donum filio quem peperisset, dare. Admirabilem fecit hunc visum & annulus, qui posterâ die ejusdem sculpturæ in lecto repertus est; Figura etiam anchoræ in nato deinceps puero, cui Seleuco nomen, conparuit. Quamobrem Laudice annulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam edocto de origine sua dedit. Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit, siquidem filii nepotesq; ejus ancoram in femore, veluti notam generis naturalem habuere.* Vide eadem apud Appianum quoq; in Syriaca hi-

ca histor. Sueton. cap. 80. lib. 2. de Augusto ita scribit; *corpore traditur maculoso, dispersis per pectus atq; alvum genitivis notis in modum & ordinem ac numerum stellarum cœlestis Ursæ:* Quas notas ego in Augusto purè genitivas fuisse puto & propritim congenitas: Nam majores ipsius habuisse etiam nusquā legere memini. Ille priores notæ de quibus diximus & genitivæ & à majoribus in minores transplantatæ. Quo pertinere potest & nota Scaligerorum Heroum, in quibus mortalitas corpora abolevit, ut beatissimæ mentes cœlum æternâ nominis relictâ post se gloriâ repeterent. Julium Cæsarem & Iustum Josephum dico, quorum uterq; habuit *oculos χαρωποὺς*, hoc est, experrectis de nocte licuit videre per horam vel amplius objecta non luce quidem clara sed instar crepusculi, quod Græcis λυκοφῶς. De se Iulius Cæsar testatur comment. in 1. de hist animal. Iosephus in vita patris & confutatione fabulæ Burdonianæ. Habuit autem & hoc Tiberius quòque, de quo Sueton. c. 68. *Oculis fuit prægrandibus & qui, quod mirum esset, etiam noctu & in tenebris viderent, sed ad breve & cum primum à somno patuissent, demum rursum hebescebant.* Dio ἀμβλυωπίαν nominat. Plin. lib. XI. cap. 37. ita scribit: Tyberio Cæsari ferunt aliam fuisse, quam cæterorum mortalium naturam. *Expergefactus*

cuius

enim *noctu pau:isper haud alio modo, quàm luce contuebatur omnia: paulatim tenebris sese obducentibus.* Quæ Plinij verba jure reprehendit Casaubonus, quem, si lubet, vide ad locum dictum Suetonij. Johanni Friderico Saxoni scribunt Historici recens nato congenitam fuisse *imaginem igneæ sive flammas de se spargentis crucis*, quæ nota illi vitæ cursum præfiguravit. Marcus Venetus, de Conzanorum Regibus scribit, natura meos omnes ornare *aquilæ nigræ insigni* in humero, cujus notæ meminit quoq; Felix Malleolus, cap. 26. de nobilitate. Videatur & Tiraquel. de nobil. cap. 36. Quæ autem caussa sit hujusmodi notarũ, pervidere nondum potui. Nam ad vim imaginatricem qui referunt, videant sanè ipsi, quomodo tueantur. Arist. 7. de hist. animal. vim illam ejusmodi putat, ut id quod inest gignenti vi imaginatrice, aliquando in nepotẽ transferri, filio non participante, *habentis*, inquit, *inusti puncti notam in brachio filius sine ea notâ natus est, ex eo verò nepos eodem in loco brachij nigritiem quamdam confusam retulit*. Vnde, si Budæo fides, viro acris ac limati judicii verba hæc adcepit Plinius: jam illa vulgata variè ex integris truncos gigni, ex truncis integros, eâdemq; parte truncos, signa quædam nævosq; etiam, & cicatrices regenerari. Quarto partu Dacorum originis nota in brachio red-

lib. 7. cap. XI.


redditur. Quo loco & exemplum adfert: Ait enim in Lepidorum gente tres intermiſſo ordine obducto membrana oculo genitos. Verum hæc hujus loci non ſunt. Sunt & alia ſigna gentilitia, quę Græci adpellant συγγενῆ, ſive συγγενικὰ quibus certæ familiæ, vel prærogativa aliqua vel alia aliqua nota dignoſcuntur. Talis prærogativa eſt Regum Galliæ, quibus pleriq; Hiſtorici tribuunt *vim curandæ ſtrumæ:* Et refert Cælius Calcagninus, vidiſſe ſe Bononiæ Franciſcum I. *Saliva tantum pollice in decuſſem allita ſtrumis mederi* Angliæ Regibus *percurandæ Elephantiaſews peculiarem quamdam vim ineſſe* præter alios teſtatur Petrus Bizarrus. Quin & ſingularibus perſonis ejusmodi privilegia obtigiſſe lego. De Veſpaſiano Tacitus mira narrat, nimirum *cæcis eum viſum reſtituiſſe*; Verba ſunt: per eos menſes, quibus Veſpaſianus Alexandriæ ſtatos æſtivis flatibus dies & certa maris operiebatur, multa miracula evenêre, queis cœleſtis favor & quædam in Veſpaſianū inclinatio numinum oſtenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus genua ejus advolvitur, precaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento; alius manu æger, ut pede ac veſtigio Cæſaris calcaretur, orabat. Veſpaſianus læto vultu, erecta, quæ adſtabat, multitudine, juſſa exſequitur,

*Hiſtoriæ Genuens. p. 411.*

*4. Hiſt. c. 81.*

quitur, ſtatim converſa ad uſum manus ac cœco reluxit dies. Eadem habet Dio; Eadem item, qua de cœco, Suetonius, quâ de manco diſſentit, debilem crure fuiſſe, dicens. Et Tacitus quidem ita concludit: *Utrumq;, qui interfuere, nunc quoq; memorant, poſtquam nullum mendacio precium.* De Pyrrho Epirotarum Rege ſcribit idem Calcagninus ex hiſtoria veteri, eum ſpleneticos dextro preſſiſſe pede & morbum ſubitò deceſſiſſe. An in eo pede pollex divina illa facultate præditus fuit? de quo Plutarchus in vitæ ejus principio, Plin. lib.7. c.2. lib.28. c.4. Alexander ab Alexand. lib.4.c.26. ſcribũt, eum neq; igne abſumi, neque ætate contabeſcere potuiſſe. Cui ſimile quid reperias apud Crinitum lib.7.cap.6. de Hyrpiis Phaliſcis. Et noſtri ſeculi nobil. Hiſtoriographus ſcribit, cujusdam famoſiſſimi Theologi cor ignis violentiam contempſiſſe. Sed pergo. De Tyberio ſcribit Suetonius his verbis: *Colore erat candido, capillo ponè occipitium ſubmiſſiore: ut cervicem etiam obtegeret, quod Gentile in illo videbatur.* Ad quem locum is, à quo plurimum ſemper profeci, Caſaubonus; per gentile videtur indicare Suetonius, fuiſſe id factum à plerisq; ex gente Claudia. Trebellius Pollio in Quieto: Videtur, inquit, mihi non prætermittendum de Macrianorum familia, quæ hodieque floret, quod ſpecia-

ſpeciale ſemper habuerunt (ſpeciale vòcat Pollio, quod Suetonius Gentile) Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis & in omni ornamentorum genere exſculptum ſemper habuêre. Videq; porrò ibi, quæ ſequuntur plura. Sic apud Ammianum Aſclepiades Philoſophus ex Deæ Cœleſtis argenteo brevi figmento quocunq; ibat, ſecum lato adgnoſci poterat: Verum ſatis. Atque hæc, niſi fallor, quæ dixi explicabunt locum illum Ariſtotelis in Poëtica, de ſignis.



## CAPUT VIII.

### *De mixtura virtutum & vitiorum.*

SCitum eſt Divini Platonis dictum, αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι τὰς κακίας, hoc eſt, Heroicæ naturæ ut magnis virtutibus inclareſcunt, ita nō levioribus vitiis ſunt obnoxij. Et ſicut in Ægypto naſcuntur optima ſimul remedia ac nocentiſſima venena; Ita & magna bona & magna mala Reip. à magnis iſtis Viris inpendent. Id quanquam multis Exemplis docuerint complures, tamē vel elegantiæ cauſſa, quæ ſeſe oſtendit in narratione Hiſtoricorum, aliquot exempla adiiciam. De Mecœnate Vellejus Paterculus:

*Mecœnas,* inquit *exsommis atque providens agendiq; sciens, simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitijs pene ultra fœminam fluens.* Idem scriptor Marcum Lollium Virum adpellat inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimum. De Tyberio Xiphilinus, *Tyberius,* inquit, *homo magnis virtutibus praditus, coopertusq; sceleribus ac ambobus pariter usus, quasi tantum in alterutro se exercuisset.* Idem de Othone, *cum pessimè omniũ vixisset, mortuus est honestissimè & Imperium, quod magno scelere invaserat, maximâ cum virtute deposuit.* Iulianus apud Ammianum Marcellinum lib. 22. erratis dicitur *obnubilasse gloriæ multiplices cursus.* De Diocletiano, cujus summam adrogantiam in summis virtutibus omnes Historici loquuntur, ita Victor: *Valerius Diocletianus, vir magnus, his moribus tamen, quippe qui primus ex auro veste quæsita, serici ac purpuræ gemmarumq; vim plantis concupiverit, quæ quanquam plus quàm civilia, tumidique ac adfluentis animi, levia tamen præ ceteris: namque se primus omnium post Caligulam, Domitianumq; Dominum palam dici passus & adorari se appellarique uti Deum.* Mox subjungit: *verum hæc in Valerio obducta ceteris bonis, eoque ipso, quod dominum se dici passus, parentem egit.*

Quibus verbis adnotavit Casaubonus, expressisse Victorem versum παροιμιώδη Græcum

cum Ciceroni etiam usurpatum.

ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀποθεῖται ψόγον.

De Theodosio Romanorum Imperatore ita Suidas: *Equidem miror vitæ ejus in utramque partem inclinationem. Nam cum cura segnis ac admodum socors esset, nulla molestia aut formidine interpellante genio indulgebat; necessitate verò urgente & metu servitutis impendente, ejectâ socordia & deliciis valere jussis, fortem & laborum se tolerantem præbebat, mox iterum omni solicitudine liberatus inertiæ suæ serviebat.* De Triboniano Procopius: *Omnium*, inquit, *cognitione scientiarum nulli secundus fuit, moribus optimis & suavissimis, quibus rebus τὸ τῆς φιλοχρηματίας νόσημα facilè obscuravit.* lib. 14. histor. Guicciardinus in vita Leonis X. ita scribit: *In eo principe multa laude & multa pariter vituperatione digna exstiterunt, de se quoque exspectationem cum ad Pontificatum est adsumptus, vehementer fefellit. Major enim in illo prudentia, sed longe minor, quam ab omnibus censeretur, probitas adparuit.* De Johanne Medice Arnoldus Ferronus in Francisco Valesio. lib. 7. pag. 98. b. *Habebatur is rei militaris non imperitus, multum in eo audaciæ ad pericula subeunda, multum industriæ inter ipsa pericula, ni tantas virtutes ingentia vitia fœdassent; quippe & inaudito jure jurando varie Deum Divosque lacessebat & fœdis puerorum amoribus deditus cum esset, flagrare vitia libidinis apud eum videbantur. Quin à divinæ Majestatis contem-*

*ptore auditas has voces ferunt: Florentinis se velle imperare, sed tamen invitis Diis, si volent Dij, nolle imperare.* Ubertus Folieta Galeacium in hunc quoq; censum refert SFORTIAM: *Fuit,* inquit, *Galeacius, veluti monstrum quoddam ex ingentibus virtutibus & vitiis conflatum;* præfulgebat in *eo magnifica liberalitas atq; in omnes tam suos quam exteros beneficentia, domestici cultus multiplex splendor omnes Reges ætatis suæ superans. Conspiciebatur enim ingens vasorum aureorum & argenteorum multitudo, nobilium equorum ex omnibus nationibus conquisitorum innumeri greges, eminebat inprimis venaticus adparatus, quem stupendo sumptu tuebatur ut ea res sola illi centenis sexagenis millibus numûm aureorum quotannis constaret, immani, ut illis temporibus summâ. Nam præter stabula canum, inprimis oculos spectãtium tenebant in peramplis porticibus falconum & accipitrum prælongi ordines, perticis insidentium, pendentia serica aulæa auro & argento egregiis acus picturis distincta & variata. Doctrinâ, eloquentiâ omnibusq; ingenuis artibus claros Viros undiq; conquisitos, magnisq; stipendiis conductos apud se in honore habebat. Ad hoc bonis & recti exempli homines fovebat & amplectebatur: contra vitiis inquinatos & maleficos homines oderat & insectabatur; faciles aditus benignæ aures, procedebant stipendia nunquam intermissa aut retardata; Cujus rei tàm diligens observator fuit Galeacius, ut omnes,*

lib XI. pag 247. b.



*mnes, qui illis alebantur, quæ fuit infinita multitudo tanquam in arca condita ea haberent. Egregias has virtutes ingentia vitia deformabant, flagitia ac fœdæ corporis libidines, quibus injuriis sæpe addebat stupratas à se matronas suis prostituendo, inhumana crudelitas, avaritia ac rapacitas insatiabilis, nova onera subditis alia super alia imposita, quæ vitia virtutum splendorem obruentia execrabile odium illi conflârant.* Atq; hæc quidem exempla nunc subficiant, quæ pretium laboris habebit, quisquis hujus rei causas nobis aperuerit.



## CAPUT IX.

### *De blandimentis seculi.*

POstquam virtutibus abjectis vitiis adsuevimus, cœpimus quoq; ut loquitur Aristophanes ὀνόμασι περιπέττειν τὴν μοχθηρίαν, sive ut Æschines καλλίστοις ὀνόμασιν αἰσχίστας πράξεις γράφειν. Unde non immeritò queritur Cato apud Plutarchum. *Jam pridem vera rerum vocabula amisimus, bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eà respub. in extremo sita est.* Et Claudius Marius Victor epist. ad Salomonem:

*Nil sanctum est nobis nisi quæstus & illud honestum est,*

*Utile quod fuerit, vitiisq; vocabula recti*
*Indimus, & parci cognomen sumit honestus.*

Quid vulgus hodiernum? & virtutum & vitiorum nomina permutat; nam malum appellat bonum & simplicem, ignarum mansuetum, iracundum apertum, superbũ magnificum, furiosum & insanum fortem, prodigum liberalem, avarum providum, superstitiosum sanctũ & pium, adulatorem *ἄρεσκον*: (ō ita quietis amantem timidum adpellat, doctum curiosum, parcũ avarum, & sic de alijs. *Fallit enim,* ut inquit Iuvenalis,

*Vitium specie virtutis & umbrâ;*

quod & Gregorius monuit distinct. 41. sepè, inquit, *vitia sese ingerunt & virtutes esse mentiuntur.* Jam diu autem hoc peccatum, ut delictis nostris blandiremur. Plutarch. in Solone de Atheniensibus recentioribus ita inquit; *ἃ δ᾽ οὖν οἱ νεώτεροι τοὺς Ἀθηναίους λέγουσι, τὰς τῶν πραγμάτων δυσχερείας ὀνόμασι χρηστοῖς καὶ φιλανθρώποις ἐπικαλύπτοντας, ἀστείως ὑποκορίζεσθαι· τὰς μὲν πόρνας, ἑταίρας· τοὺς δὲ φόρους συντάξεις, φυλακὰς δὲ τὰς φρουρὰς τῶν πόλεων· οἴκημα δὲ τὸ δεσμωτήριον καλοῦντας, πρώτου Σόλωνος ἦν, ὡς ἔοικε, σόφισμα, τὴν τῶν χρεῶν ἀποκοπὴν σεισάχθειαν ὀνομάσαντος*; hoc est, *Nam quod recentiores aiunt, Athenienses asperitatem rerum, benignis & blandis vocabulis contegentes invidia nominis urbane emollita scorta adpellare amicas,*

*cas, tributa descriptiones, præsidia civitatum stationes, carcerem custodiam, id primum commentum, nisi fallor fuit Solonis, qui æris alieni condonationem novas tabulas adpellavit.* De Lepido 3. Annal. Tacitus narrat: Sextum Pompejum eum ut secordem, inopem incusavisse, adverso senatu, qui Lepidum mitem magis ac ignavum censebat. Apud eundem Scriptorem Piso contra Othonem: Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit, perdere iste sciet, donare nesciet. O ho ipse de Galba: quæ alij scelera, hic remedia vocat, dum falsis nominibus severitatem pro sævitia, Parsimoniam pro avaritia, supplicia & contumelias vestras, disciplinam vocat. Huc refero & colores illos hominum, quibus improbè facta pingere & variare consueverunt: de quibus multa apud Tacitum legas. 1. Annal. de Tyberio: *pietatem erga parentem & tempora reip. obtentui sumpta, ceterum cupidine dominandi facta alia.* Apud eund. 4. hist. Cerealis conqueritur his verbis: *ceterum libertas & speciosa nomina prætexuntur, nec quisquam alienum servitium & dominatiouem sibi concupivit ut non eadem ista vocabula usurparet.* Religio quoq; mantellum hodiè omnium scelerum est, & ut alibi Tacitus de crimine Majestatis, *crimen id eorum esse, qui crimine vacarent,* ita hodie crimen religionis ejus exstirpandæ Zelus, tanquam pravæ & conruptæ velat cupiditates inprobas,

*Lib. 1. histor.*

Libertas etiam improbarum actionum velum eſt, rebellionem enim dicere veremur. Sic apud Tacitum Arminium pro libertate bellãtem favor habebat; & apud Froſardum cum Gandavi rebellarent Principi Flandro, pleræq; civitates eas ſummis laudibus efferebant: quod libertatis ſuæ tam acres eſſent propugnatores. De Ferdinando Guicciardinus ſcribit; eum dominandi libidinem religionis ac publicæ utilitatis ſpecie texiſſe. Et ridicula fuit ſepé mihi viſa Bruti Caſſiiq; Oratio profitentium ſe vel in perpetuo exſilio victuros, dummodò reip. conſtaret concordia, plurimũ ſibi honoris eſſe in conſcientia facti ſui. Et concludit tandem de illis Hiſtoricus: Ubicunq; eſſent, ipſi remp. prætexebant, ipſi verò ſummi principes Romani improba ſua facta aut aſperiora mirabili velamento tegebant, exemplum videlicet aliquod è memoria veterum repetentes, aut mandata prædeceſſorum, quorum obſervationem item Caſaubono debeo. Sic Alexandri auctoritate Trajanus ſubceſſorem nominare nolebat. Hadrianus verò exemplis Catonis, Scipionis Æmiliani, Metelli & Trajani abuſus eſt: Antonius & Octavius omnia ex tabulis Cæſaris facere ſe fingebant, Tyberius ex Auguſti præceptis: Hadrianus Trajani theatrum diruens, decreto ejusdem ſe id

*lib. 2.*

facere

facere adſerebat. Eſt & aliud idque miſerum & pudendum blandimentum, quo miſerias noſtras lenire ſolemus, uſurpatum jam ab antiquo, nec deſitum hodieq;. Pacem enim & ſalutem ubi ab hoſtibus annuo tributo mercati ſumus, tributum id adpellare nolumus, ſed blandioribus adpellationibus munera & dona adpellamus, noſtra lingua Præſent. Factum hoc ab antiquo. Nam in rep. Romana Domitianus cæpit, qui Decebalum Dacorum Regem cum armis vincere non poſſet, annui tributi penſitatione placuit, quod ſequuti Trajanus & Hadrianus, aliiq; deinceps Principes. Illa tributa nominarunt honeſtiori adpellatione ſtipendia aut munus, Herodianus συντάξεις. Talia ſoluit Hadrianus Cæſar apud Spartianum Roxolanorum Regi. Invectus eſt in ſervilem hanc blanditiã vehementer Procopius & Saluianus, quorum loca ad Spartianum recitavit Caſaubonus, quibus addatur Galgaci Britanni apud Tacitum Oratio: *Nata ſervituti mancipia ſemel veneunt, atq; ultro à Dominis aluntur; Britannia ſervitutem ſuam cotidie emit, cotidie paſcit.* *in Agricola.*



CAPUT

## CAPUT X.

### *Consilia spectanda non exitum.*

*——Careat successibus opto,*
*Quisquis ab eventu facta notanda putat.*

INquit Poëta. Adceptum procul dubio ex insigni monito Diodori Siculi, quod est tale: χρὴ οὐκ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων κρίνειν τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς προαιρέσεως. Subjungit autem rationem: τοῦ μὲν γὰρ ἡ τύχη κυρία, τοῦ δὲ ἡ προαίρησις δοκιμάζεται. Addit idem: Ægyptios de Medicis legem valde elegantem tulisse: si quis non servatis præceptis quempiam curandum suscepisset, quamvis sanatus esset, eum securi plectendum. si verò Medica præcepta observavisset, etiam si æger mortuus esset, laudibus eum extollendum. Idem in Politicis alijsq; factitandum. Similem legem adfert Val. Maximus: *Carthaginienses*, inquit, *duces pravo consilio bellum gerentes, etiamsi prospera fortuna subsequuta esset, cruci tamen suffigebant: quod benè gesserant, Deorum immortaliũ adjutorio; quod malè commiserant, ipsorum culpæ inputantes.* Idem monitum inculcavit Cicero quoq; non uno loco, & eleganter Tacitus 1. histor. requirit, ut non tàm casus eventusque rerum, qui plerumq; fortuiti sunt, sed ratio etiam causæq; noscantur, πλείω γὰρ, inquit Thu-

Thucydides, καλῶς δοκοῦντα βουλευθῆναι, εἰς τοὐναντίον αἰσχρῶς περιέστη. Et Tacitus 3. Annal. multa honesta exitio fuere. Sophocles etiam in Philoctete, αἱ σοφαὶ γνῶμαι ἐμποδίζονται θαμά. Magnus igitur error, sed valdè tamen communis ex eventis res cernere sive judicâre. De cujus frequentia gravissimi scriptores conquesti. Euripides ita inquit: οἰόμεθα τοὺς εὐτυχοῦντας πάντ' ἐπίστασθαι καλῶς. Boëtius lib. 1. prosâ 4, *Hic etiam nostris malis cumulus adcedit, quod existimatio plurimorum, non rerum merita sed fortunæ spectat eventum:* Eaque tantum judicat esse provisa, quæ fœlicitas cõmendaverit, quo fit, ut existimatio bona primùm omnium deserat infelices. Quem locum procul dubio in mentem habuit Apollinaris lib. 4. Epist. 6. cum ita scribit: Factum benè est, quod anceps iter salubriter distulistis, neq; intra jactum aleæ status tantæ familiæ fuit. Et licet inchoata via potuerit prosperari, ego tamen hujusmodi consilio album calculum minimè adponam, cujus temeritas absolui nequit, nisi beneficio felicitatis. Pergit verò Boëtius, *ultimam esse solere fortunæ sarcinam, quod miseris adficto crimine ea, quæ perferunt, ipsi meruisse creduntur;* quod & Vellejus lib. 2. dixerat, miserrimum esse, quod quicquid adcidit, meritò adcidisse videatur. Et Tacit. 4. Annal; *Vulgus ex opinione multa, ex*

*veri-*

*veritate pauca judicans fortuita ad culpam trahit.* Placet & Poëtam audire:

Lucan. lib. 7.

*Qui placet, ô superi, cum vobis vertere cuncta*
*Propositum, nostris erroribus addere crimen?*

lib. 5. Epist. 21

Nec alius ab his Plinius: *Est omnino iniquũ, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout malè aut prosperè cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur.* Nec ignoravit hoc Plautus, cujus elegantissimi hi versus sunt:

Pseudolus scen. 1: Dii immortales.

*Centum doctûm hominum consilia sola hæc devincit dea*
*Fortuna, atq; hoc verum est: proinde ut quisque fortuna utitur,*
*Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus.*
*Benè ubi quod consilium dicimus adcidisse, hominem catum*
*Eum esse declaramus: stultum autem illum, cui vertit malè.*

Pro Rabirio Posthumo.

Cicero item: *Hoc plerumq; facimus, ut consilia, eventis ponderemus, & cui benè quid processerit, multum istum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus.* Sapienter itaq; Artabanus apud Herodotum: Suadeo tibi, O Rex, bene deliberare, in eo enim maximum est lucrum. Nam etiamsi aliter adcidat, nihilominus tamen benè consultum est, & superavit fortuna consilium; qui verò malè consilium cepit, si maximè fortuna ei adrideat, & voti sui compos fiat, nihilo tamen secius malè consultum est.

lib. 7.

Cæte-

Cæterum ne videamur ſaltem gentiles in teſtimonium vocare, audiamus & Theologum, eumq; non è vulgo, ſed ex primis. Is eſt Iſidorus Peluſiota, cujus hæc ſunt verba: οἱ δοκοῦντες οἱ σοφοὶ εἶναι, οὐκ ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως, ἀλλ' ἀπὸ τῆς προαιρέσεως τὰ πράγματα κρίνουσι, καὶ τοὺς μὲν ἡττᾶσθαι δόξαντας πολλάκις ἀνακηρύττουσι, τοὺς δὲ νικήσαντας ἐπαινῶν οὐκ ἀξιοῦσιν. οἱ μὲν γὰρ οὐδὲν ἐλλελοίπασι τῶν ὀφειλόντων πεπρᾶχθαι, εἰ καὶ μηδὲν, ὧν προῄρηντο, καθώρθωσαν: οἱ δὲ ἐπὶ κακῷ τῆς ἑαυτῶν κεφαλῆς, πολλάκις νενικήκασι, hoc eſt: Qui ſapientes habentur, non ab eventu, ſed ab animi inſtituto & voluntate res ponderant, ac ſæpenumero eos, qui victi eſſe videntur, laude & prædicatione efferunt; Eos contra, qui victoriam adepti ſunt, laude nequaquam adficiunt. Illi enim nihil eorum, quæ facienda erant, prætermiſerunt, etiamſi ab inſtituto ſuo aberrârint; hi verò in ſui capitis perniciem plerumq; vicêre. Et quæ ibi multa pulchra ſequuntur, quæ ſi videre volueris, operæ pretium feceris. Idem in contrarium οἱ νοῦ καὶ φρονήσεως ἀμοιροῦντες ἀπὸ τῶν συμφόρων κατὰ τόνδε τὸν βίον συμπιπτουσῶν καὶ τὸν βίον διαβάλλειν εἰώθασιν, hoc eſt, Mentis & prudentiæ expertes ab iis calamitatibus, quæ in hac vita obcurrunt, vitæ quoque calamitoſorum criminandæ occaſionem trahere conſueverunt. Eaſdem ſententias habet Epiſtola 399. libri 3. ubi

uti verba quoque Diodori Siculi retinet, & lib. 1. Epist. 335. elegantissimè scribit; Τὸν βουληθέντα εὐεργετῆσαι, μὴ δυνηθέντα δὲ βοηθῆσαι, μὴ ἐκ τῆς ἐκβάσεως μέμφου, ἀλλ' ἐκ τῆς προθέσεως τίμα, ὅτι καὶ τῇ φύσει κεκίνηται, ἃ ἐχρῆν διαπράξασθαι, εἰ καὶ τῇ δυνάμει ἐνάρκησε μὴ ἰσχύσας ἐργάσασθαι, hoc est; Eum qui de aliquo benè mereri studuit, nec tamen ei opem ferre potuit, ex eventu ne reprehende: verùm ex animi instituto ac voluntate lauda, atque honore adfice: quoniam naturæ vi ad ea, quæ oportebat, efficienda incitatus est, etiamsi viribus elanguerit, nec quod conabatur, perficere potuerit. Ex recentioribus eadem monuére conplures, inprimis autem vide Petrũ Bizarrum in histor. Genuensi: *pag. 461. & 741.* Orationem item elegantissimam Reginaldi Albirij ad Florentinos, apud Nicol. Machiavellum hist. Florentinæ *p. 167.* lib. 4.



DECA-





# DECADIS II.

## CAPUT I.

### *Extrema quorumdam magnorum Principum dementia & fastus vecors.*

NOtissimus est Plauti versus: *Decent secundas fortunas superbia*, qui, ut omnia sequiora, facilè etiam clientes reperit. Quò enim quisq; potentior eò turpius ne stultius dicã abusus est potentia sua. Cui rei exempla quędam ex Historijs conligamus. Atq; ut inter orbis Principes facilè primas obtinuit Xerxes famosissimus ille Persarum Rex, ita & ridiculæ suæ stultitiæ palmam post se omnibus præripuit. De quo hæc Herodotus: *Cum intellexisset Hellespontum ex Asia in Europam conjungi, indignè ferens, jussit trecenta Hellesponto verbera infligi & in ejus pelagus par compedum demitti. Audivi etiam misisse, qui stigmata Hellesponto inurerent, certè mandavit ut colaphos Hellesponto incuterent, dicentes hæc barbara ac vesana verba: O aqua amara dominus hanc tibi inrogat pœnam, quod eum læsisti, qui de te nihil malè meritus erat. Te tamen* lib. VII.

E Rex

*Rex Xerxes velis nolisve transmittet, meritoq; nemo hominum tibi sacrificat, ut doloso pariter & amaro flumini.* De eodem Xerxe Plutarchus: *Xerxes mari stigmata ac verbera ingessit,* & ad montem Atho Epistolam hujusmodi misit: Atho divine, cœlũ tangens vertice noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles; alioqui te excisum in mare deturbabo. Hujus dementiam imitatus apud Romanos Lucullus est, quem ob injectas mari moles & receptum subfossis montibus in terras mare, haud infacetè Pompejus Magnus Xerxem togatum vocabat. Probius expressit C. Caligula Cæsar: de quo Seneca: C. Cæsar iratus cœlo, quod obstreperet Pantomimis, quos imitabatur studiosius quam spectabat, quodque comessatio sua fulminibus terreretur, ad pugnam vocavit Jovem & quidem sine missione, Homericũ istum versum exclamans:

*libello de cohib. irâ.*

*1. de irâ cap. ult.*

ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σέ,

id est, *aut tu me tolle, aut ego te.*

Quibus gemina habent Dio & Suetonius in vita ejus. Idem Caligula non contentus gemina hac stultitia, qua primùm putavit sibi à Jove noceri non posse, deinde se Jovi nocere posse, ipse quoq; porrò se Iovem esse finxit. Ideò libidines quoq; Jovis æmulatus est. Nam & primum sorores suas vitiavit ad exemplum

*Cap. 22.*

emplum Jovis, qui Iunonem sororem in justæ uxoris loco habuit; Furtivis deinde libidinibus etiam indulsit, Jovem, cum virtutibus, non posset, vitijs æmulatus. Adeò videlicet verum est, quod Juvenalis ait.

*——— nihil est, quod credere de se* Satyra. 4.
*Non possit, si conlubeat, dis æqua potestas.*

Finxit idem monstrum, se manibus ipsius victoriæ coronatum esse, lunæque amplexibus frui, & adstante aliquando Vitellio se cũ Lunã coire jactitabat, interrogabatq; Vitellium, an Deam secum coëuntem videret; Cui ille non minus adulatoriè quàm festivè respondit: Minimè Domine, tantummodo enim Vobis Dijs licet inter vos videre. Hæc Xiphilinus, qui & hæc addit, tonabat machinis quibusdam ac fulgurabat, ut per omnia Jovi similem se ferret. Athenæus lib. 12. ex Theopompo historiam recitat hujusmodi: Cotys rex quidam erat Thraciæ, qui in ijs, quæ ad luxum vitamq; voluptariam pertinent, nulli mortalium concedebat. Tandem se dignum Minervæ conjugio existimavit, eamque spem concepit, fore, ut Dea libidini suæ obtemperaret. Instructo itaq; epulo ac thalamo præparato benè potus adventum Deæ exspectat, cumq; jam moræ pertæsus quemdam è satellitibus misisset, qui videret, an Minerva in thalamum venisset, & is neminem

ibi esse retulisset, sagittis eum confodit. Misit verò & secundum, quem idem renunciantem eodem mortis genere sustulit. At tertius duorum periculo territus monitusq; reversus eũ à Dea cupidè exspectari retulit. Sic ille in cubiculum secessit. In hunc Cotyn lusit Rhianus his versibus;

Ὃς δέ κεν εὐοχθῆσι, θεὸς δ᾽ ἐπὶ ὄλβον ὀπάζῃ,
Καὶ πολυκοιρανίην, ἐπιλήθεται οὕνεκα γαῖαν
Πόσιν ἐπιστείβει. θνητοὶ δὲ οἱ εἰσὶ τοκῆες.
Ἀλλ᾽ ὑπεροπλίῃ καὶ ἀμαρτωλῇσι νόοιο
Ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ᾽ ὑπὲρ αὐχένας ἴσχει
Καίπερ ἐὼν ὀλίγος μνᾶται δ᾽ εὐπήχω Ἀθήνην
Ἠέ τιν᾽ ἀτραπιτὸν τεκμαίρεται οὔλιμπόνδε
Ὡς κε μετ᾽ ἀθανάτοισιν ἀείθμιος εἰλαπινάζῃ.

hoc est, ut vertit Henricus Stephanus:

*At contrà superum quem dextera larga beavit*
*Cuiq; dedit latè dominari, haud jã memor ille est*
*Se calcare solum; mortalesq; esse parentes:*
*Transversamq; rapit vesana superbia mentem,*
*Vt fremat æqua Iovi: quãvis & corpore parvus*
*Attollit cervice caput: tandemq; Minervæ*
*Fit procus, atq; viam sibi jam molitur ad ædes*
*Æthereas, ut ibi fiat conviva DEORVM.*

De Mexicanis Regibus scribit Lopesius Gomara, more gentis cùm consecrarentur, jurare eos debuisse in hæc verba: *Effecturos se, ut sol cursum splendoremq; suum teneret, nubes pluerent, rivi currerent; & terra produceret omne genus*

*nusfrugum.* Rectius hi facturi fuiſſent, ſi imitari maluiſſent Canuti Anglorum Regis exemplum, quod ex H. Huntindonenſi Cambdenus adfert in Britañia ſuâ; Repreſſit is adulatorem quendam qui omnia ad Regis vultum & nutum converti adſerebat hoc modo. Sedile ſuum in littore maris ſtatui juſſit, cum adſcenderet: Adſcendenti mari dixit: Tu meæ ditionis es, & terra in qua ſedeo, mea eſt, nec fuit, qui impune meo reſiſteret imperio. Impero igitur tibi, ne in terrã meã adſcẽdas; nec veſtes nec membra dominatoris tui madefacias. Mare verò de more conſcendens, pedes Regis ſine reverẽtià madefecit. Ille igitur reſiliens: Sciant, inquit, omnes habitantes orbem, vanam & frivolam eſſe Regum potentiam, nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum, cujus nutui cœlum, terra, mare, legibus obediunt æternis, nec unquam poſtea coronam capiti impoſuit. Hæc ille. Attilæ etiam magnam fuiſſe vecordiam teſtatur Nicolaus Olatus in vitâ ejus c. 9. Poſt devictos hoſtes Ætium & Thraſimundum, ſuperbum hoc dictũ dixiſſe fertur. *Nunc ſtellas præ ſe cadere, terram tremere, ſe malleum eſſe univerſi orbis.* Dein in id arrogantiæ proceſſit, ut juſſerit flagellum Dei adijci ſuo titulo, ac eo Epitheto ſe & nominari & in literas referri mandaverit.

*pag. 191.*

## CAPUT II.

### *Exercitum virtute potius quàm numero æstimari debere.*

PUlcherrimum est Synesij illud: χειρῶν δεῖ
Epist. 78. τῷ πολέμῳ καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν, quibus verbis stultitiam ridet illorum, qui tum se bellis gerendis idoneos putant, si numerosissimum habeant exercitum, quales olim fuere
Iuven. sat. X. Xerxes & Darius, *quorum exercitus flumina perpotasse legimus.* At verò si Historias intueamur, si exempla consideremus, si denique rationes expendamus, patebit, ut opinor, pręstare mediocrem ex militibus contractum exercitum multitudini inmensæ & undiquaque conlectæ. Atq; ut ab Historiis initium faciamus, testantur illę, Alexandrum paucissimis millibus innumerabiles Darij copias profligasse, qui in primâ pugnâ sexcenta millia eduxisse dicitur; in secundâ quadringenta peditum millia, centum equitum. Græci Duces Xerxem deleverunt exiguis copiis decies centena millia militum educentem. Miltiades, Themistocles, Lucullus, Sylla, Pompejus, ipse deniq; Cæsar justo exercitu, hoc est, mediocri cum numerosiss. Barbarorum copijs prosperrimè conflixêre, superioresq; evasêre. De Metello Salustius: Ubi in Africam venit

venit, exercitus ei traditur Spurij Albini Proconsulis iners, imbellis, neq; periculi, neq; laboris patiens, lingua quàm manu promptior prædator ex socijs, ipse præda hostium, sine imperio & modestia habitus. Ita Imperatori novo plus ex malis moribus solicitudinis, quàm ex copia militum auxilij aut bonæ spei adcedebat. Tacitus etiam valdè ridet hac causa Vitellium: Vitellius inquit, Contemptior in dies segniorque, ad omnes municipiorum villarumq; amœnitates resistens, gravi urbem agmine petebat. Sexaginta millia armatorum sequebantur licentiâ corrupta, calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis. Tot legatorum amicorumq; comitatus inhabilis ad parendum, si maximè summa modestia regeretur. Et rursus eod. lib. paulo post: Adgregabantur è plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mirè gaudebat. De Alberto IV. Austriaco scribit Austriacæ Gentis scriptor non indiligens: Anno, inquit, Christi 1403. obsidebat sedecim millibus militum Znoymam, sed erant in exercitu ipsius proceres nonnulli, majore domi ob genus & divitias auctoritate quàm rerum usu præditi, quorum consiliis fiebat, uti omnia secius caderent: Quippe se-

*In Iugurth. cap. 44.*

*lib. 2. histor.*

*Gerhardus de Rhoo. Hist. Austr. lib. 4. pag. 158.*

gnes statim ad obsidionis moram animi eorum, præsertim qui adventus sui terrore statim debellatum oppidum iri speraverãt. Scilicet, addit, sæpè educuntur cum alijs & illi, quos domi reliquisse magis ex re erat: Renatus Lusinga cladis Nicopolitanæ caussam Gallorum multitudini confidentium temeritati adscribit, sicut & Varnensis cladis aliarumque, qui videri potest lib. 1. de incrementis Imper. cap. 5. His præmissis caussas deinceps inspiciamus. Quarum primam Synesius nobis dictat, superius citatis verbis; Manu enim opus est in bello, hoc est, virtute militari, neque ibi nobilitas pugnat aut numerus, sed robur & virtus. Altera ratio est, Disciplina militaris tota penè consistit sicut & fœlicitas in obedientiâ. Id quod ostendit Scipio, qui in Sicilia cuidam percunctanti, qua re fretus classem in Africam transmittere vellet, trecentos ei viros armatos ostendit, exercentes se, & in vicinia turrim excelsam mari imminentem, addiditq; ut discas, qua re fretus hoc suscipiam: Ecce nullus horum est, qui non conscensâ hac turri se præcipitem in mare daturus sit, simul atque ego jussero. Obedientia videlicet omnia sibi obvia pollicitus. At in tanta confluge hominum quis sit obedientiæ locus? Docuit nos antea Salustius de Spurii exercitu sine imperio habito & modestia,

deſtia, docuit nos Tacitus de Vitellij exercitu licentiâ conrupto & inhabili ad parendum, etiamſi ſummâ modeſtiâ regeretur: docuit a- *hiſtor lib. 8* pud Henricum Huntindonienſem: Radul- *pag. 388.* phus Orcadum Epiſcopus, cujus hæc fuêre ad milites in acie verba: *Non tàm numerus multorum, quam virtus paucorum bellum conficit.* Multitudo enim diſciplinæ inſolens ipſa ſibi eſt impedimento in proſperis ad victoriam, in adverſis ad fugam. Qui locus tertiam nobis ſuppeditat rationem, confuſionem nempè, quo alludit & Tacitus, cum inquit loco antea citato: Effuſa plebs ſe totis caſtris miſcuerat, incurioſi milites. Quibus adcedat quod requiritur in Duce belli, ut & ipſe milites noſcat & ab ijsdẽ cognoſcatur. Unde magnæ laudi ſemper datum ducimus, ſi non ſolum milites ſuos amicè haberent, ſed & eoſdem, qua licebat, nomine inter præliandum ciere poſſent. Quomodo de magno Duce Silius:

——————*cunctosq́ue ciebat*
*nomine.*

Et de Adriano Spartianus, in caſtris agebat unicè, ut ſemper ſibi noti milites eſſent, & numerus eorum ſciretur. Et mox: Veteranorum nomina etiam eorum, quos dimiſerat, dixit. De Alexandro Severo Lampridius: Inter militares ſic verſatus eſt, ut milites ſuos ubiq; ſciret, & in cubiculo haberet

breves & numerum & tempora militantium, semperq; cum solus esset & rationes eorum & numerum & dignitates & stipendia recenseret, multorumq; diceret & nomina. De promovendis etiam sibi adnotabat & perlegebat cuncta Pittacia, ut nosset quis quisque & qualis esset, & quo insinuante promotus. De Antonio Tacitus: Ut quemq; notum & aliquo militari honore insignem adspexerat, ad ferēdam opem nomine ciens. De SFortia Jovius, tanta fuit memoria, ut non modo militum suorum, verùm & Equorum nomina à multis annis repeteret. Quod ut rectius facerent, habuerunt tabulas hujuscemodi, quas ut vidimus modò, breves adpellarunt, item Pittacia hoc est, tabulas pice vel maltha illitas, item latercula quorum in jure multa mentio. In his descripti erant nominatim manipuli, cohortes, alæ, legiones; nomina etiam eorum, qui morerentur, diligenter adnotata erant. Hoc laterculum & ut Appianus vocat, βιβλίον ἐφήμερον τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ παρόντος Tribuni quotidie Imperatori offerebant, cum ab eo signum peterent. Quin & nomina jubebant scutis aliquando inscribere, uti de cujusq; præclarè factis duci rectius constare posset. At quomodo immensas ejusmodi copias Dux unus norit, aut à tàm multis quomodo noscatur ipse? Adcedit quod pluri-

plurimum refert ad res benè gerendas conſenſus animorum & concordia militum, quæ vel nulla eſt, vel certè rara in multitudine immodica, quam componi neceſſe eſt ex diverſis gentibus, & populis: ſenſit hoc incommodum Ungaria ſepè & Italia. Quid enim boni æmulationes illæ Hiſpanorum, Gallorum, Italorum, Germanorum, Bohemorum, aut Ungarorum, vel potius quid non mali pepere? ne dicam, quàm ſit contractu difficilis retentuq; exercitus ille numeroſſiſimus. Unde enim commeatus alendo? facilitas traducendo? Eleganter in hanc rem Vegetius lib. 1. cap. 3. Pluribus caſibus ſubjacet, multitudo amplior. In itineribus pro mole ſua ſemper eſt tardior, in locis aſperis vel fluminibus tranſeundis propter impedimentorum moras ſæpè decipitur. Præterea ingenti labore numeroſis animalibus equisq; pabula cõliguntur, rei quoque frumentariæ difficultas quæ in omni expeditione vitanda eſt, citò majores fatigat exercitus. Vnde concludit: veteres, qui remedia difficultatum experimentis didicerant, non tàm numeroſos, quàm eruditos armis exercitus habere voluiſſe. Et modum quidem Romanorum ipſe docet. Carolus V. Imp. ſummus, in Commentarijs Filio relictis, Philippo ſcilicet II. Hiſpano, certum etiam exercitus numerum

præſcri-

præſcribit, qui nec difficilis contractu, nec contentu laborioſus futurus eſſet, nec majori eum numero uti volebat. Franciſcum quoque Mariam Urbini Ducem non plus quinquaginta millibus ad exſtirpādam Turcicam Tyrannidem depoſcere ſolitum adcepimus.

---

## CAPUT III.

### *Altiorum adfectatio periculoſa.*

ELeganter Plato τὴν κενοδοξίαν ὡς τελευταῖον χιτῶνα ἡ ψυχὴ πέφυκεν ἀποτίθεσθαι. Id quod *lib. 4. hiſtor.* Tacitus eleganter vertit, qua de Helvidio Priſco ita inquit: *Erant quibus adpetentior famæ videretur, quādo etiam ſapientibus cupido gloriæ noviſſima exuitur.* Et alibi *Famæ etiam boni* *In vita Iulii Agricolæ 4. Annal.* *omnes indulgent.* Rurſus: *Optimi mortalium altiſſima cupiunt:*

*Contemptu quippe famæ contemnuntur virtutes.*

Verùm qui modum aliquem cupiditatibus ſuis ſtatuit, is demùm ſapere videtur. Altiora enim quærere periculo non vacat. Id quod gemino exemplo placet demonſtrare.

Vacante Siciliæ regno poſt morrem Martini Aragonij, regnoq; Siculorum ſuffragijs deſtinato Ferdinando, contra ipſum oculos ad regnum adjecit Bernhardus Caprera, quo in Sicilia nemo vel potentia vel ſtudijs populi vel

vel auctoritate etiam superior erat. Quò adcedebat & dignitas. Prætor quippe Siciliæ erat, ipsi Magistrum Iustitiarum vocant. Blãcam Regis Navarræi filiam Martini nurum ratione potentiæ contemnebat, sexus & formæ respectu amabat, imaginabaturq; sibi fore, ut ipsa in amores consentiret, & regio matrimonio regnum sibi stabiliret. Hisce igitur somnijs ebrius cœpit cogitate de rationibus, anteverso Ferdinando, regni sibi parandi. Ac initio quidem metu repulsæ (erat enim ille jam senex) metu etiam ne res cogitationesque suæ erumperent, dolo atque insidijs rem tractare instituit, quæ si non procederent, blanditijs atque promissis eandem persequi volebat. Ad extremum adhibere vim & terrorem. Vivebat tùm Regina in Vrbe Catinâ, ubi arx inter primas tuta mariq; vicina, ipsa verò plerumque in Monasterio, quod nullarum esset, quàm Deo dicatarum virginum consuetudo vel viduæ fæminæ aptior, vel ad famam honestior. In eo Monasterio cum comprehendere Reginam Bernhardus parasset, illa vel admonita à suspicantibus vel certior facta à scientbus furtim in arcem concessit. Doluit id Bernhardo factum, tùm quod deceptus spe sua esset, tùm penè proditum se videret, quibus omnibus dissimulatis conloquium tamen Reginæ petivit, quę consilio

sitio cum amicis habito ita cum Bernhardo cōvenit, ut Regina de puppi triritemis, Bernhardus de ponte, quo littori navis jungitur, sermonem faceret. Ubi conventum est, Caprera post multa verba, quæ ad purgationem facti sui adtinebant, conjugij mentionem inijcit, ad quæ turbato vultu Regina, *Hui sene x scabiose*, nec plura his loquuta, atque à Bernhardo aversa Raimundum Torres Triremis dominum, solumq; conloquii arbitrũ retrahere à terra triremim jubet, qui dictis paret. Caprera coactus properè de ponte desilire, ne in mare cum ipso ponte rueret. Is lapsus hac spe & per contumeliam elusus non destitit tamen institutum suum urgere, contractisq; copiis multas civitates Siciliæ armis territas, ubi inperata facere coegit, regni caput Syracusas petit, quo se tanquam in civitatem peculiarem Regina contulerat, adcersito Sancio Doris Egidio æmulo & adversario Bernhardi Capreræ. Bernhardus eo animadverso matrem se cum pullis unâ capturum ratus, Urbem cum septingentis Equitibus & mille peditibus, arcem prætergressus, ingreditur, ac nemine repugnante partim metu, partim factionibus & studijs, Sancii Comitibus fugâ elapsis, qui in arcem ob commeatus inopiam recipi non potuêre, in potestatem adcipit. Receptâ Urbe recta arcem adgre-

adgreditur, causatus Urbem se occupasse, uti in officio contineret, donec certi quid in regno constitueretur, arcem autem se adgredi, ut capitalissimum hostem Sancium in ordinē redigeret. Arci Marchetto nomen erat, à qua terrestri itinere, nisi per portam arci subjectā jam à Bernhardo occupatam egressus non patebat. Itaq; in potestate sua eam habere videbatur, nec mari patebat effugium. Castris itaq; circumductis & ponte inter se per aquas cōmissis, machinis ac tormentis obsessos continuò oppugnat, noctibus quidem ad quietem datis. Imò quod minimè decebat amatorem, quodque, honorem auribus præfactus, dico, fimum ac pejora fimo quę teterrimum odorem spargebant, sæpius quàm saxa in arcis tecta jaculabatur, omnibus modis unicè festinans, uti & amoribus & regno potiretur. Verum hic quoq; miser frusta fuit. Desertus enim est initio à Johanne Moncada fratre Antonii Comitis Darnonis, qui Sancianis se conjungens, Capreram in castris oppugnat, dumq; partes inter se pugnant & Bernhardus linteo, quo caput per noctem obvolverat, agnitus præsentissimum vitæ periculum adiisset, interim Regina elabitur, & in navem imposita Panormum venit, dumq; illa & suis rebus & Bernhardus suis quoq; student, legati è Catalonia Drepanum adpellūt,
missi

miſſi ad reconciliandum Bernhardum cùm Regina & Sancio. Tenebat ſe Regina in Urbis dictæ domo regia, illi ſua lingua Hoſterium appellant, poſita ſuper littus maris, neque ſibi quicquam metuebat. Atqui Bernhardo ea urbs maxime opportuna inſidiis viſa, ꝙ nihil illic timeretur, nec inopportuna domus, remota quippe ab hominum frequentia, vicinorumque, quos præterea legatorum adventus ſecuros indiligentesq; reddiderat. Compoſitis itaq; inſidijs aditus omnes ad Reginam obſidet & Petrum Martini Legatorum nuncium, per quem illi triremem ſibi mitti petebant, triduo penè apud ſe retinuit in oppido Alcamo, quæ triremis non miſſa ſalutem poſtea Reginæ peperit. Tertia die ſub meridiem Alcamo egreſſus intempeſtâ nocte Panormum furtivo aditu ingreſſus eſt, nec tamen civitatem fefellit. Nam ſubitò ſtrepitus tumultuantium excitatus eſt & clamor, ubi plus timoris erat, vehementior, quem inſuper noctis ſilentia exacuebant. Tandem ad Reginam quoq; rei notitia pervenit, quæ cum ſe magis, quam Urbem invadi intelligeret, exanimata è cubili proſilit & ne ſpatium quidem veſtiendi vel ipſi vel pediſſequis datur. Seminudæ igitur atq; neglecto capillo è cubiculis erumpunt, & inter primas Regina, quodque conſilium ineant, igno-

ignorant. Tandem per gradus arcis lympha-
tæ in viam ſe projecêre, cum in mentem ve-
niſſet triremis. Curſum igitur capeſſunt, per-
que portam egreſſæ aquas ingrediuntur, ſub-
ductis ſupra genua veſtibus, nihil formidan-
tes aut altitudinem vadi aut frigus maris:
erat enim adhuc hybernum anni tempus.
Dignum profectò riſu ſpectaculum erat, ſi
cui ridere in tali caſu vacaret & alienum peri-
culum turpitudinemq; ſpectare voluptati
cuiquam foret. Mulieres crinib. penè paſſis
nocturna veſte tantum indutæ aut altera
quoq; circumvolutæ magis quam amictæ &
inter eas Regina ut dignitate ſic celeritate
præcipua quaſi pro corona currentes in ſta-
dio, divaricatæq; ad femora inrupêre in ma-
re glaciatum penè. Ingreſſæ jam mare vix au-
ſæ vocare Navarchum metu ne ab hoſtibus
exaudirentur: pauci famuli, quibus miſeræ
fœminæ innitebantur, Navarchum orant, ut
periclitantibus quamprimum adſit. Verùm
ille ſomno operam dans à vigilibus tandem
admonetur, q monitus obvolutâ veſte è cu-
biculo ſtupefactus exſilit, & remiges admo-
vere triremim jubet, dejectaq; mox ſcapha,
Reginam, ceteraſque tantum non attonitas
atq; exangues excipit. Quæ cum triremim
ingrederentur, eodem penè momento Bern-
hardus domum Regiam adit, compertâque

 in na-

in navim Reginæ fuga exſecratus diem, *En*, inquit, *tertio manus meas effugit*, indignabundusq; ad Reginæ cubiculum perrexit intravitq;, ubi cernens cubile turbatum, quale ſolet ab ſubitum timorem relinqui, *perdicem ait perdidi, ſed nidum teneo*, protinusq; depoſitis veſtibus, ut erat adhuc tepidum ſubit, ac per totum corpus ſe volutans & ſubinde ſpiritũ per nares trahens ſignificabat more venatici canis, ad luſtrum feræ ipſo ſe odore delectari. Tanta ei fuit inter maximarum rerum conatus amoris intemperantia, ut quod maximè diſſimulatum oportebat, id ille ineptè admodum detegeret & fateretur. Regina triremi ad Soloentum deducta eſt, oppidum in dextro littore Panormi poſitum, decem millibus paſſuum remotum. Legati fruſtrà triremim exſpectãtes terreſtri itinere Panormum interea venêre, quos Bernhardus quotidiè inani ſpe paſcebat, Reginã interim nũc blanditijs, nunc terroribus adoriens, donec tandem arce Panormitana caſtris circumdadata Soloentum ſe conferret, oſtentans ſe Reginæ uti ſtrenuũ equitem & amari dignum, cum tamen conſtaret, robuſtius eum equitare, quam decentius. Atq; hactenus quidem ſibi placebat Bernhardus, eò quidem usque, uti declarato jam Rege Ferdinando non tamen ab incepto diſiſteret. Tandem Anto-

niu

nius Moncada cum ſuis & Sancij copijs auſpiciis Reginæ ipſi obviam venit, ac primum per nuncios agit, ut à Panormitanæ arcis obſidione diſcedat, quas urbes, quæque oppida ceperit, reſtituat, Reginamq; ſuperiorem agnoſcat, qui ſe ferro ei reſponſurum minatus cum majore copiarum parte Legatos ſubſequutus eidem obcurrit. Paucis diebus ſive proditione Vaſconis cujusdam ſive calliditate hoſtis, dum partem valli extra muros circuit ac ſtationes recognoſcit, improviſo hoſtium adventu circumventus & cum aliquantiſper in orbem gladio ſe tutatus eſſet, captus eſt, atq; ita qui capere conabatur Reginam, qui cõjugio, qui amori, qui regno acquirēdo operam dabat, jam tandem de amittendis bonis, de ſervitute, de morte deniq; miſerabili cogitabat. Traditur enim in manus Sancii, ductusq; in caſtellum, cui nomen Mota, ibidem in ciſternam vacuam demiſſus eſt. Nec ita multò poſt ad inmenſam pluviam laxatis cadurcis tanquã fortuitò id adcidiſſet, quod factum erat ex imperio, rivi in ciſternam defluebant eamq; replebant. Bernhardo identidem vociferanti auxiliumq; imploranti nemo domeſticorum reſpondit, tanquàm obſtrepente eorum auribus pluvia & ut alibi occupati eſſent, donec innatante jam aquis lectulo non procul à vitæ periculo eſſet.

Tunc quidam veluti primum clamore percepto ab ore cisternæ respondet ac festinabundus Domino nunciat, qui miseranti similis propere succurri imperavit. Educitur è profundo lacu obscuraq; testudine Bernhardus, modò Siciliæ Regulus, veste, capillo, toto deniq; corpore ementita pluvia madidus, sed in locum transfertur omni carcere graviorē, ut mox adparebit. Adulatus aliquot diebus homini, à quo custodiebatur, ubi sibi familiarem eum benevolumq; existimat, auro eum corrumpere tentat, pollicitus, si liber sit, aureos montes. In præsenti autem, antequā loco pedem efferat, aureos mille. Custos dari sibi noctem ad deliberandū petit, impetratoq; spacio rem interim Sancio aperit. Is jubetur annuere petenti, pecuniam adceptare, quæq; agenda sint alia, docetur. Redit is mane ad captivum, deliberatumq; sibi esse dicit adjuvare calamitosum, si promissi 1000. aurei repræsententur, se eum è turris fenestra funib⁹ demissurum pollicetur, & juramento confirmat. Bernhardus hæc ad amicos clanculum, à quibus eodem die pecunia subministratur. Proximâ nocte prænumerata custodi pecunia, tertia vigilia, suspenso ad eam rem fune, caligis complicatis, nulla amictus tunica demittitur, custode, ut validius conturbaret miseri consilium, urgente ad descendendum, tā-
quam

quam anxius eſſet, ne in fuga deprehenderetur. Ille noctis pariter & timoris tenebris cōfuſus, dum celerius, quam manus ferrent, lubrico fune delabitur, adaptatis ad id infra retibus induitur, & ritu ferè caſſitæ captæ hæſit, ita ut nec ſeſe dejicere, etſi præceps caſus erat, poſſet, nec receptus in feneſtram ullus daretur. Si ferrum ad manus fuiſſet ignominiā morte fortaſſis diluiſſet, ſed mors ibi loci pudenda erat, inimico præterea iucūda, aviditas deniq; iniuriæ quandoq; ulciſcendæ contumacem animum & dedecoris patientem faciebat. Nocturnum frigus & ſolem adurentē deinde corpus non ſenſit, dolor enim acrior animū urebat, nec tàm è tenebris ciſternæ ꝓduci in lucem optavetat prius, quàm nunc è luce in tenebras reduci. Ita ſanè totum diem retibus involutus & prorſus irretitus, tāquam Mars in adulterio Veneris ridiculum ſimul ac miſerandum plurimis ſpectaculum fuit; cujus turpitudini hic quoq; velut cumulus adceſſit, quod cum ad tranſitum notorum honeſtorumq; virorum faciem pudibundus vellet avertere, ne poſteriora illis oſtenderet, prohibebatur, nec quod cibo ac potu eo die carverit, doluit, ſed quod ea, quæ niſi remotis arbitris decorè non fiunt, præſentibus arbitris facere non licuit. Receptus veſperi eodem eſt, unde fugerat, ſi fugiſſe eſt, è car-

cere in laqueum incidere, aliisque ludibriis non caruit, donec Rege Ferdinando poscente vinctus productus Legatoq; traditus est, à quo solutus in Cataloniam protinus Barcellonamque ad Regem se contulit, apud quē obliteratis conatibus in pristino deinceps honore habitus est, habuitq; adeò hunc infelicem exitum Siciliæ occupandæ conatus Bernhardi Capreræ, quo infelicior adhuc fuit Jacobi Comitis Urgelensis conatus, qui itidem regnum adfectabat.

Erat hic Jacobus potentissimus in Arragonio regno princeps, Regi adversatus ob Heraldum suum, quem Romani Fecialem adpellabant, virgis à Rege cæsum, quod suo injussu Barcellonam, ubi Rex erat ingressus, Iohannem Reimundum Cardonæ Comitem ad duellum evocasset. Faciebat ei præterea animos Henricus Regis Angliæ filius, vir bello singularis & Iacobo nostro favens. Itaque copiis Henrici adscitis Ilerdam Urbem duodecim passuum millibus à Billagerio castro suo distantem improviso advētu noctu constituit occupare, conruptis è plebe quibusdã, qui portam, qua ad Castrum iter, unde etiam illi nomen, adulterinis clavibus aperirent. Venit igitur cum duobus millibus peditũ & circa horcos Urbi vicinos latet, præmissis qui de adventu suo proditores docerent. Porta rese-

reſeratur & Urbi ſuccedunt numero pene quadringenti, cum ecce res mirandæ novitatis contingit & quæ numen adverſum Comiti teſtaretur. Tubicen quidã, qui portæ illi vicinus habitabat, temulentus, quale genus ſolet eſſe tubicinum, inflare tubam per noctẽ cœpit, totus nudus, & ſocium, qui in arce excubabat, provocare, qui nihil moratus, ne videlicet ſodali probior eſſet, provocanti reſpondet, quem dum provocator quietus auſcultat, tumultũ in vicinia armatorum ſentit. Eum excitabant Urbem ingreſſi milites proditos ſe tubæ ſigno rati, & ad ſuos agminatim redire feſtinantes. Perturbatus re inſolita tubicen & in locum, unde commodius proſpici porta poterat, cõvolat, cernitq; armatos, nec tantum audit, quia Luna ſubluſtris erat. Itaq; periculo inſtante monitus, non ad enſem, lanceam clypeũq;, ſed ad utiliora in illo caſu arma, tubam videlicet ſuam recurrit, atq; eum ſonum, quo populus ad arma cõclamatur, inflat, eò quidem fortius, quod ſciret ſocium ex magis celebri loco civitatẽ item excitaturũ; quod & factum. Ad utriusq; terribilem ſonum cives excitati in publicum provolant, quos agmen Scholaſticorũ cum multis facibus ſubſequitur civibusq; ſe jungit, factoque univerſi globo ſonum clangentis ſine intermiſſione tubę ſequentes ad portam feruntur,

 quo-

quorum in se irruentium impetum hostes sustinere non valentes repulsi sunt. Nec quicquam Comes cum reliquo exercitu adproperans & vi conatus irrumpere profecit. Tandē ad blanditias deveniens meritis in Urbem suis exaggeratis & maxima queq; pollicitus jussus est, nisi capi malit, propere recedere. Coactus id facere Comes fuit, verum præ inpotenti ira messes circa Urbem igni ferroq; vastavit. Inde frequentiores ad confœderatos Principes nuncios missitare, ut quamprimū auxilia suppeditent, occupandum esse, antequam Rex comparet exercitum. Jā enim hæc res animos omnium non modo Catalaunorū verum etiam finitimorum erexerat. Erant n. & ipsi finitimi suâ sponte rerum novarum cupidi, atq; ingentibus promissis à Comite in partes suas pellecti. Sed fortuna, ut in aliis rebus, ita hic quoq; plurimum dominata est, & Comitis imprudētiam Regisq; virtutem reddidit insigniorem. Nam cum maximè negocium hoc urgeret Comes, ecce moritur Angliæ Rex, filiusq;, in quo plurimum præsidii Comes locaverat, ad capessendum regnū in patriam navigavit, relictis quibusdam præfectis, qui magnum quidem promittebant, sed en mediocre quidem præstabant auxilium, quo animadverso, finitimorum quoq; Principum ardor atq; audacia refrixit, cum præ-

sertim

ſertim ſummam ex adverſo Regis diligentiã, ſummum conſilium maximasq; vires colligi viderent. Interim Rex bellum ſibi contra Comitem deſumebat, vicario domi relicto Alphonſo, filio primogenito & hærede Regni ab Ordinibus recepto. Franciſcum autem Herillum cum manu mediocri, ad cohercendos Comitis conatus præire jubet, alios exercitus in fine Regni diſponit, finitimos Principes ſuſpectosque minis territos monet, quieſcant & ipſi, & tranſituros hoſtes prohibeant. Poſt mediam æſtatem Rex oppidis ceteris, quæ Comitis erant, vel deditione captis, vel in fidem acceptis Ballagerium, ubi ſe hoſtis tenebat, adgredi ſtatuit. Erat id oppidum ſitu, opere, & arce tutiſſimum, præter oppidanos defenſum mille quingentis peditibus, equitibus trecentis. Rex ex Caſtellanis & Catalaunis octo milia peditum, quatuor equitum habebat. Crebræ intercedebant inter utrumque Exercitum velitationes, oppidanis nunc hac nunc illa porta in adverſa caſtra proruentibus, acrius tamen certamen erat machinarum, quas Bombardas adpellamus, quarum ſoni tantò erant terribiliores, quod penè uno temporis puncto ſimul omnes laxabantur, adq; earum impulſum fumus ex concuſſis parietibus pulverulentus arcis & oppidi conſpectum obſidentibus adime-

ret. Uxor Comitis p nuncios Regem eo têpore orasse dicitur, (erat enim cum marito in arce) prægnanti parceret, nam fœtum ex matris pavore ad sonum percussorum parietum atq; tectorum in utero subverti cum utriusq; periculo. Regem autem respondisse, eligeret quam arcis partem vellet, in ea tutã mansurã, prohibitis illuc ictus tendere, qui machinas temperarẽt, hac tamen lege, ne maritum ad se reciperet. Quam conditionẽ ipsa repudiavit, causata impiam ac turpem esse, omniq; sibi periculo acerbiorem. Non enim in periculis modò, sed ne in morte quidem velle se à marito separari, nec quidquam sibi jucundum, nisi cum illo commune, cujus incolumitatem cuperet sua calamitate depacisci. Sunt, qui dicant, murorum propugnatores in Ferdinandum quotidiè probra jecisse & Iacobum Regem perpetuo appellitasse, contempto Ferdinando, multa item per induciarum etiam dies in Regem transeuntem è muris missilia cõjecta, duobusq; confossum telis, cui insidebat, equum concidisse, Rege supra collapso, illosq; quasi victores exclamasse: Extinctum Ferdinandũ, Jacobumq; regnaturum. Quibus injuriis exacerbatum Regem jurasse, Jacobum non impunè laturum, omnibusque viribus oppugnationem ursisse. Comes ab Anglis se delusum videns & quotidie complu-

pluresè ſuis ad Regem transfugere, non putavit extremum ſibi tempus exſpectandum; quo & metus illum egit. Stipendia enim ſuis ſponſionibus magis ac precibus, quã rebus & nummis ſolvebat; ſpei item multũ in uxore ponebat, quia Regis matertera eſſet, multum in proceribus, & inter primos in Duce Gandiæ, qui in caſtris Regi ad erat ac pro amico & propinquo officioſè laborabat. Verum Rex neceſſitatem Comitis probè noſcebat; itaq; ad pauca, quæ petebantur, conſenſit. Impetratum tamen tandem ab eo eſt, uti nihil in vita membrisq; jacturæ pateretur, promiſiſſe etiam fertur Rex proceribus, fore, ut nec diu captivus eſſet, nec extra regnum, quanquam alii, nõ denegatum potius poſcentibus, quam promiſſum teſtantur. Suaſu itaq; procerum, qui plura vultum ejus, ſi Regi ſe ſiſteret, aut diem impetraturum dicebant, progreditur tandem Jacobus è natali oppido, ſuaq; olim, non amplius ſua domo, ipſe non ultra ſuus, equo ſedens, mœſto magis quàm demiſſo vultu, coma barbaq; flavis, gladio, qui mos Heroum fuit, ex humeris pendente, oculis omnium in eum intentis & fortunam miſerantibus; cui jam portam egredienti obviam fit miles quidam nondum obducta ingentis cicatrice vulneris, quod pro illo pugnans in capite adceperat. Is ut erat ipſo corporis habitu mi-

tu miserabilis, opem orat, cui Comes, Tu quidem rectè, sed ego te miserabilior, qui non modo nihil quod dem, sed ne quidem me ipsum habeo. Sed quid loquor? Agedum miles habeo quoddem, quamq; gerebat loricam hamis consertam, non exigui pretii, sibi detractam militi dedit, omnib⁹ spectantibus & talem fortunam in tanta virtute probè deflentibus. Ubi ad conspectum Regis venit, in augusta sedentis sella, extra lapidis jactum, ex equo descendit, genuque posuit, paulumque progressus iterum adoravit, tertiò cum adorasset, nec Rex adsurgeret, ullumq; clementiæ signum in vultu ostenderet, erupêre circumstantibus lachrymæ gemitusq;, maximè verò tùm, cùm Regis Petri filia eademq; Ferdinandi matertera ad pedes sororis filii advoluta muliebribus precibus & lamentis veniam marito precaretur. Rèx commotos adsidentium flentesq; vultus intuens, *prospexisset*, inquit, *sibi maturè & non ad ultimum obstinationis pervenisset, nunc postquam venenum in nos omne consumsit, ad clementiam confugit, voluntas tamen eadem perstat, quæ fuit, cui si detur iterum grassandi materia, denuo de nostra pernicie cogitabit. Necessitas hoc ab eo officium expressit. Voluntati igitur, quæ nulla neq; erga nos neq; ad bonum & æquum est, nihil debemus, necessitati, quæ promisimus, abundè præstabimus, meis circa ipsum moribus*

*bus potius usurus quàm ipsius. Tu verò Alvare, ducito tecum hunc in aliquod pro sua dignitate tentorium.* Sic miserrimus Comes, qui Regnum Catalauniæ spe devoraverat, altiora improvidè tentando, captivus miserrimè ductus est.

## CAPUT III.

### *Gentes alias ab aliis per commercia mores & consuetudines mutuari.*

QUanquam gloriosum meritò credatur, nosse peregrinas gentes, gloriosius autem subjugasse: tamen ea quoq; res periculo nunquam caruit. Nam constat ex Historijs sæpè Gentes ab alijs pessimos mores & consuetudines traxisse, maximè verò per commercia. Sensere hoc primũ Romani, ut indicium ejus rei fecit Dionysius Halicarnass. *lib. 3.* Ancus .n. Martius, cũ animadverteret ostium Tyberis posse commoditatem præbere, exstruxit ostia ad onerandum ibi & exportandum merces, ut non tantum ijs Roma frueretur, quæ vicina regio suppeditaret, sed & maritimis commoditatibus, quas commoditates peregrina quoque vitia sequuta sunt. Idem sensêre Parthi authore Tacito, recepto Rege Vonone Tiberij auctoritate; quanquã enim is origine Parthus esset, Phraatis natu maximus, tamen Romanæ Vrbis consuetu-

dine

ume traxerat, quæ Parthi dedignabantur.
Tacit. Verba Historici hæc sunt: *Accendebat dedignantes ipse Vonones, diversus à majorum institutis, raro venatu, segni equorũ cura, quòties per Urbes incederet, lectica gestamine fastuq; erga patrias epulas. Irridebantur & Græci Comites, ac vilissima utensiliũ annulo clausa, sed promti aditus, obvia comitas, ignota Parthis virtutes, nova vitia & quia ipsorum majoribus aliena, perinde odium pravis & honestis.* Quo loco si quis de epulis Regis Parthorum cognoscere quædam velit, legat quæ ex Posidonio prodidit Hermolaus Byzantius in Epitome Athenæi libr. 4. cap. 15.
lib. 2. Apud eundem Tacitum luxum peregrinum Gallus Asinius auctu Imperii adolevisse scri-
lib. 3. bit: & Tiberius ipso Justissimis caussis motus suadet, omittere potius prævalida & adulta vitia, quàm id assequi, ut palàm fieret, quibus flagitiis impar resp. Romana foret: luxum enim alieni & peregrini, non prisci moris esse, indecorumq; fore adtrectare, quod non obtineretur. Periandri videlicet illud in animo habuit, dicentis; μὴ ἴω κακὸν κακῷ. Unde ibidem ait, curationem illam plus damni reip. allaturam. Postea per elegantissimam occupationem ita differit; cur ergò olim parsimonia pollebat? quia sibi quisq; moderabatur, quia unius Urbis cives eramus, ne irritamenta quidem eadem intra Italiam dominãtibus: exter-

externis victoriis aliena, civilibus etiam noſtra conſumere didicimus. Quæ animadvertens Johannes Ducas Imperator inſigni Conſtitutione, quæ exſtat hodieq;, ſanxit, ne Romanę divitiæ in peregrinas veſtes, ſericas, Aſſyrias, Babylonicas atq; Italicas effundantur, ſed ut cives Romani iis contenti eſſent, quas Romanæ provinciæ ac manus præberent. Verba conſtitutionis hæc fuêre: τὸν τῆς εὐγενείας ὅρον ἐν τοῖς τῶν Ρομαίων ἐνδύμασι περικληθέντα, τὸν δὲ πλοῦτον οἴκοθεν οἴκαδε (τὸ θρυλλόμενον) φερόμενον, hoc eſt, juſſit nobilitatis limites Romanis veſtimentis definitos eſſe, divitias autem domo, quod ajunt, domum ferri. Noſtro ſive parentum aut avorum ſeculo Collenutius ſcribit: Tranſlatâ Romani Imperii ſede Byzantium, ipſum Imperium Romanum non modo ſitu & lingua, verum etiam moribus græciſſavit, atq; à priſtina virtute & gloria paulatim deſcivit. Illis idem accidiſſe graviſſimè docet apud Livium (lib. 38.) Manlius Conſul: Majoribus noſtris cum haud dubiis Gallis in terrâ ſuâ genitis res erat: Hi jam degeneres ſunt, miſti & Gallogræci verè, quod appellātur. Sicut in frugibus pecudibusq; nō tantum ſémina ad ſervādam indolem valent, quantum terræ proprietas, cæliq; ſub quo aluntur mutat. Macedones qui Alexandriam in Ægypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quiq;

*lib. 2. hiſt. Neapol.*

,, quiq; alias sparsas per orbem terrarum colo-
,, nias habent, in Syros, Parthos Ægyptios de-
,, generarunt. Massilia inter Gallos sita traxit a-
,, liquantum ab accolis animorum. Tarentinis
,, nil ex Spartanâ durâ illâ & horrida disciplina
,, mansit. Generosius in suâ quidquid sede gi-
,, gnitur, insitum alienæ terræ, in id, quo alitur,
,, natura vertente se, degenerat. Nolite existi-
,, mare beluas tantum recens captas feritatem
,, illam silvestrem primò servare, deinde cum,
,, diu manibus hominum alantur mitescere: in
,, hominum feritate mulcendâ nõ eandem na-
,, turam esse. Eosdemne hos creditis esse, qui
,, patres eorum aviq; fuerunt? Extorres inopia
,, agrorum profecti domo per asperrimam Illy
,, rici oram Pœoniam inde & Thraciã pugnã-
,, do cum ferocissimis gentibus emensi has ter-
,, ras ceperũt. Duratos eos tot malis exaspera-
,, tosq; recepit terra, quę copia rerum omnium
,, saginaret, uberrimo agro mitissimo cœlo cle-
,, mentibus accolarum ingeniis omnis illa cum
,, qua venerant, mansuefacta est feritas. Vobis
,, mehercule Martis viris cavenda ac fugienda
,, quam primum amœnitas est Asiæ; tantum hæ
,, peregrinæ voluptates ad exstinguendum vi-
,, gorem animorum possunt, tantum contagio
,, disciplinæ morisque accolarum valet! Quid
,, tamen respondebimus Alexandro? quem, cũ
,, Hermolaus reprehenderet, quod ipse Mace-
do Per-

do Perſarum veſtibus & diſciplina delectaretur reſpondiſſe ferunt, videre ſe in multis gẽtibus, ꝙ non erubeſcant imitari peregrina, quos nulla neceſſitas id facere cogeret, ſe vero commodè populos ſubjugatos in officio : õtinere non poſſe, niſi quædam & illis tradat & viciſſim ab illis adcipiat: Verum ſapientiores judicent: nos quædam hinc corollaria deducamus, quorum primum hoc ſit. Magnum eſſe in peregrinis Principibns legendis periculum; plerumq; enim in Imperium peregrini quoq; mores immigrant. Secundo, in matrimoniis etiam cautelam iſtam obſervandam. Nam & fœminæ multum huic rei, inſita ſexui ſuperbia, conferre ſolent. Tertio non ferenda in rep: commercia luxurioſa, puta eorum qui gemmas, ſericum & cibos alio ex orbe petunt. Deniq; cavendum, ne nimis facile peregrinos jure civitatis noſtræ donemus. Id quod Auguſtum monuiſſe Tiberium ſupra diximus. *Cap. de ſtudiis Princip.*

## CAPUT IV.

### περὶ ἀργυρολογίας τῶν ἀρχῶν.

QUas Galenus artium omnium & ſcientiarum peſtes olim adpellavit ambitionem & avaritiam, eas imperiorum quoq; peſtes eſſe nemo ſanus unquam dubitavit. Atq; ambitum quidem quod adtinet vitium id ta-

le est, quod generi nostro insitum penè atque innatum quis dicat. Cum enim imperia cum aliquo splendore conjuncta necessariò sint, nemo penè hominum est, qui non imperium in alios adfectet. Unde minimè vana Socratis querela fuit: *Artes*, inquit, *sedentarias nemo, qui non didicit, profitetur, nec scrinium faciundum quisquam locat ei, qui opificii illius rudis & ignarus est. Imperare autem volunt omnes, cum tamen*, teste Diocletiano, *nihil sit laboriosius, quàm imperare.* Huic vitio Romani gravissimis legibus de ambitu latis occurrêre, deq; eo nos alibi. De altera Rerump. peste, Avaritiâ, paucis hoc loco; Ei pater luxus est, avia Copia, avus Plutus. Opibus enim respp: auctæ luxum didicere, quo aucto, in dies opes absumptæ sunt & ad paucos redactæ pecuniæ. Inde novum respublicas vitium invasit emptio dignitatum & imperiorum, labes tanta, ut Imperator Justinianus dicere nihil dubitârit, τὸ ἀργυρολογεῖν τὰς ἀρχὰς πάσης εἶναι πονηρίας προοίμιόν τε καὶ πέρας. Nec solum Iustinianus hoc animadvertit, sed longè ante ipsum aquila illa in nubibus Aristoteles. Reprehendit enim Carthaginiensium Legislatorem eo, quod ditissimos tantum ad Magistratus vocabat, duabus potissimum de caussis, quia, inquit, pravum esset magistratus fieri venales, deinde quia sic tota civitas ad studium

*apud Vopiscum.*

*Nov. 8.*

dium

dium opum vocaretur, & divitiæ virtuti præferrentur. Cicero etiam, *quæstui remp habere non turpe modò, sed & nefarium ac sceleratum*, testatus est. Vtut tamen hoc ab omnibus sapientibus damnatum sit vitium, tamen non semel sed multoties Urbis æternæ imperium fatigavit. Apud Salustium Jugurtha *venalem* ait *esse Romam, & si emptorem invenerit, mox libertate sua casuram.* Plutarchus in Cæsare idem vitium Romam obsedisse docet, idque *ruentis fuisse signum reip:* Tacitus Dolabellam sallè admodum perstringit, cum inquit: Censuit Dolabella spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum, pecuniâ eorum, qui Quæsturam adipiscerentur. Et subjungit: Apud Majores virtutis præmium erat, cunctisq; civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratum, &c. Irrepserat etiã sub Alexandri Severi tempora, qui honores vendi passus postea non est, *Necesse enim*, inquit, *est, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum, quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire illum hominem, qui quod emit, vendit.* Vopiscus in Aureliano pessimo publico factum ait, ut Romæ tum fieret divitiarum consulatus, non hominum; posterioribus seculis eadem miseria Romanos exercuit. Scribit Xiphilinus, qua de Sulpitiano & Didio Juliano, *Romam cum imperio eo* *Lamprid. in Severo.*

*tempore quasi in foro aut mercatu venalem propositam fuisse, eamq; vendidisse, qui imperatorem suum occiderant.* Emebant autem Sulpitianus & Didius Julianus factis contra se mutuis licitationibus, auctione paulatim facta, quæ eadē habet Zosimus. Fallitur autem, quod eo primum tempore nundinatio hæc dignitatum cæperit, nisi forţè hoc dicat, nunquam tàm apertè eam commissam esse. Suidas in Zenone Leonis successore, his verbis Sebastiani cujusdam avaritiam detestatur: *Bonam Romani gubernationē sub eo sensissent, nisi Sebastianus tum in aula potentissimus illum quovis suo arbitratu pepulisset, velut in foro omnia cauponans, nec sine pretio quicquam in Regia confici sinens. Nam & magistratus vendebat omnes, pretio nunc sibi reservato, nunc cum Imperatore communicato, quod si quis adcessisset, qui paululum quiddam adjiceret, is præferebatur, in toto deniq; palatio nihil erat prorsus rerum omnium quod venale non esset. Quod si Zeno magistratum aliquem suis familiaribus contulisset, ipse mancipis instar eum ab illis redemptū pluris vendebat aliis, Zenoni furta illa præbens.*

lib. 1.

Idem Suidas hisce similia affert de Iustiniano Rhinotmeto, cui cognomentum à præciso naso adhæsit, Constantini filio. De Theodosio pulcherrimè ita ait. *Adflixit remp. magistratus conferendo non iis, qui eos gerere possent, sed qui auro avaritiam Enuchorum explerent.*

*rent*. Unda Zoa Imperatrix cum sorore consorte Theodora legem sanxit, ne cuiquã magistratus venderẽtur; quę cõstitutio exstat in Jure Orientali Titulo περὶ τῦ ἀπελάτην τὰς ἀρχὰς γίνεσθαι. Migravit hoc malum à Rom. reipub. nundinandi Magistratus consequenter deinceps ad alias, imprimis verò regnum Galliæ obsedit, qua de re innumeræ sunt Historicorum querelæ. De Gulielmo Roberti Normanniæ Ducis filio Flandriæ Comite creato Paulus Æmilius: *Magistratus venundabat, nulla ratione virtutis, nobilitatis meritorumve aut communis salutis habitâ, dignitates officiaq; quæstui habebat, Decuriones, Vergobretos, Consules* (nam & hæc honorum nomina etiam Flandria usurpabat) *pretio creabat, cuncta illi pecuniâ viliora erant*. De Ludovico XII. iidem Historici Gallici referunt, eum ut populo parceret ad dissolvendum æs alienum ab Antecessore Carolo VIII. contractum, ad redimendum item Ducatum Mediolanensem, aliisq; de caussis, primum ex Regibus Galliæ fuisse, qui regalia officia vendiderit. Idem tamen à venditione muneris judicialis semper abstinendum censuit. Videat plura qui volet apud Bodinum lib. 5. de rep. cap. 4. pag. marginali 551. & Tholosanum lib. 4. de Rep. c. 5. num. 27.

*in Ludovico Crasso.*

## CAPUT V.

### *Secreta literis non committenda.*

Quanquam nobile & omni commendatione dignum donum Dei sint literæ, quibus absentibus etiã & longè dissitis animi nostri sensa perinde ac si præsentes essent cõmunicare possumus: Tamẽ secreta literis cõmunicare, quæ periculum creare nobis possunt, intutum admodum est, ideoq; studiosè cavẽdum. Nam ut non ineleganter quidam,

*Litera scripta manet, volat irrevocabile verbũ.*

In eam sententiam movere quem è plurimis hæc exempla possunt. Plautianus cum Severum Imperatorem & Antoninum ejus filium tollere per conjurationem vellet, dedit id mandatum Saturnino Tribuno militum, qui cum accusare Plautianum, quàm dicto ejus obedire mallet, petiit sibi scriptum id mandatum dari. Plautianus ambitione ipsa occæcatus manu propria mandatum scripsit, Tribunoque tradidit. Is postea à Tribuno delatus, quanquam constantissimè negaret, chirographo tamen convictus vesaniæ suæ poenas dedit. Idem periculum subiit Lupus Conchillus. Is cum Ferdinandi Hispaniarum Regis proceres toti ferrentur in Philippum Generum & communi aularum vitio pleriq; à solo

Occi-

Occidente ad Orientem se converterent, missus est à patre ad Johannam filiam Philippi conjugem, ut eam de omnibus rebus certiorem faceret, procerumq; artes & consilia, quibus Philippum conjugem à Patre avertere conarentur, declararet. Quibus cognitis, parẽtem filia per literas secretiores adhortatur, ut si quid apud eũ charissimæ filiæ preces valerent, nullo modo ea regna desereret, quæ una cum Isabella matre tot seditionibus & tumultibus nutantia, tot hostilibus armis vicinorum Maurorũ impetita securitate perpetua stabiliverant. Quod si ad id, præter jus ex testamento Reginæ Isabellę solemnes tabulæ necessariæ essent, quibus facultas regni administrandi, donec Philippus in Castellam appelleret, daretur, se vel nolente marito quamprimum missuram, quare curis & molestia liber degeret. Nam simul atq; in Castellam conventum esset, omnia ex ejus sententia componenda fore. Has litteras Conchillus Ferreræ quem consiliorum participem secum ad Reginam duxerat, Ferdinando perferendas tradit, quod nemo ad eam rem quàm vir Arragonius aptior videretur: qui & soli natalis communitate & multorum beneficiorum, quibus eum Rex cohonestaverat, caussa ac nomine eidem obstrictus esset. Ferrera sive timore deterritus, ne, si res palam fieret, pœnas atroces Belgis daret, sive captandi Philippi

cupidus, parum fidei aut officij memor, rem vniversam ad Philippum defert eiq; litteras in manus tradit. Philipp⁹ ubi mittēdarū litterarum & totius consilii auctorem Lupū Cōchillum fuisse intellexit, iracundia percitus tanquam nefario in crimine & capitali fraude deprehensum in tetrum carcerem detrudi jubet, ubi loci pædore & uligine caput ei intabuit, & defluvium capillorum passus vitæ quoq; periculum subijt, quod medicaminis viribus, quo se petitum eo tempore ajebat, post sæpè Conchillus adcidisse memorabat, addens, mētem exinde sibi per intervalla vacillasse. Nec Conchilli pœna contentus fuit Philippus, sed & vniversam Uxoris Reginæ familiam Arragoniorum hominum caussariis missionibus, atq; adeò ceterorum omnium, quos ad Belgas venienti pater tradiderat, obdurato animo inmutavit, paucissimis duntaxat retentis, quibus, ne se inscio in Hispaniā scriberent, severissima admonitione edixit. Bonus tamen hic Conchillus postea rebus inter socerum & generum compositis pristinę dignitati à Rege Ferdinando restitutus est. Tristius fatum fuit Augustini Caponij & Petri Pauli Boscoli, de quibus ita scribit P. Jovius: *Eo tempore à nonnullis in cædem Cardinalis Medicæi Iulianiq; fratris conspiratum est, Principes fuere Augustinus Caponius corpore ac ingenio*

*Lib. 3. de vita Leonis X. initio.*

*vivi-*

*inerti juvenis, in quo nihil prorsus laudares, præter familiæ nomen. & Petrus Paulus Boscolus honestis quidem literis exornatus, sed judicio turbidus & levis, uti his sæpe accidit, qui ab exsultantia atræ bilis insaniæ proximi, dum præsentia non probant, immoderata inani cogitatione persequuntur. Dolebat sibi ereptam tri libertatem, cum remp. ad Medicæorum arbitrium recidisse conspiceret, quanquã illi per Optimates æquissimos viros cuncta Urbana commoda, honores & magistratus inter omnium classium cives æquo ordine partirentur. Boscolus Bruti virtutem & gloriam ferebat in cœlum, seq; Brutum fore testabatur, si sibi suum magni consilii participem Cassium reperiret. Nec mora: Caponius, qui multa à Boscolo ex historiis de Cassio præclara audiverat, libenter in ejus nomen est adoptatus. Sed cũ de tempore & loco cædis ageretur, deque adsciscendis sociis, quorum præsidio tuti ac defensi negotium conficerent, forte Caponio intranti Bucianam domum syngrapha sinu decidit, in qua breviter erant adnotata nomina amicorum, qui idonei ad id patrandum facinus viderentur. Ea syngrapha beneficio Deorum collecta & per Coctium Senensem delata ad Medicæos, periculum depulit. Captus namq; Caponius cum in tormentis egregiè tacuisset, prolata demum syngrapha nequaquam inficiatus manum, cuncta propalavit. Eadem confessus est & ipse Boscolus, qui Nicolaum Valorium insignẽ civem nominârat, atq; ita de ambobus sup-*

 *plici-*

*plicium sumptum. Valorius autem in Volaterranam turrim est relegatus, quoniam, tametsi Boscolum tàm de nefario consilio insano fremitu prologuentem sæpè ut insanum castigarat, nihil tamen, uti optimus civis debebat, ad magistratus de ea re detulisset.* Hæc Jovius.

Addam adhuc unum ex Bohemorum historiis petitum.

Scripserat Iohannes Smirzizius illustri Bohemorum gente natus ad Bohemiæ Regem Ladislaum his verbis: *Venturum te quãprimum in regnum tuum probo, si modò veneris imperaturus & non pariturus. Inermem impotentemq; intrare non laudo, nisi bicipitem mater pepeπt, ut ex duobus capitibus unum Viennæ apud amicos dimittas, alterum Bohemorum dubiæ credas fidei. Vale.* Epistola hæc Comiti Ciliæ reddita est, qui cognito tenore Georgio Podebracio remisit. Ille adcersito Procerum Consilio, inter quos Iohannes iste non in postremis erat, literarum sensum suppresso scribẽtis nomine recitat; quid mereatur scriptor percontatur? Dignum morte primi judicant, nec Johannes suo loco sententiam dicere jussus adversari audet, proditorem & ipse patriæ adficiendumq; summo supplicio censet. Profertur mox Epistola ejus manu perscripta & impressum annuli signum recognoscitur, damnatus exinde ore suo comprehenditur, du-

arum

arum horarun tempus datur, quo, ſi velit & animæ ſaluti & domeſticis rebus conſulat. Nec diutius vitæ dimiſſus, gladio percutitur bonus vir, eloquens magis, quàm cautus, dum vitæ ſtudet alienæ, amittit ſuam.

## CAPUT VI.

### *Vindictæ quædam Exempla atrociora.*

VEriſſimum eſt, *nihil eſſe vindictâ ſuavius.* Sed nec hoc negari poteſt, quin ut in rebus ſuavibus omnibus modum excedere ſolemus, ita quoq; in vindicta terminos ſæpè excedamus. Docuere hoc multis exemplis viri ſummi, quibus viſum eſt addere nobis etjam quædam obſervata. Miſerat Clotarius Secundus adverſus Saxones duce Bertario provincias Frācorum urentes. Dagobertum filium, qui Auſtraſianis trans Rhenum ductis, ut indolem ſuam patri gentiq; probaret, cum hoſte conflixit. In ea pugna grave adoleſcens in capite vulnus accepit, capillumq; ejus cruore infectum Auſtraſiani ad patrem detulêre qua velut regii inſignis dehoneſtati fœditate conſpecta pater irâ percitus ſuorum delectu habito in hoſtem ruit, & Bertarium ducem interfecit, omnes etiam hoſtes omnesq; virilis ſexus ejusdem terræ incolas, quotquot gladii, quem tunc fortè gerebat, longitudinem exceſſiſſent, peremit, magis exacerbatus

convitio, cum vetulum iumētum se ab hoste vocitari audivisset.

Atrox etiam vindicta fuit, quam exercuit Justinianus, qui cum à Leone regno motus & naribus truncatus esset, recepto deinceps imperio quoties defluentis rheumatis guttam manu detersit, toties aliquem ex iis, qui partes adversarii contra se sequuti fuerant, jugulari præcepit.

Scribunt Hispanicarum rerum Historici de Ramiro Sanctii filio, Petri Arragonum Regis fratre. Serviverat ille diu in Gallia Religioni S. Benedicti, in monasterio Sancti Pontii de Tomeriis, postea à proceribus regni ad imperium vocatus, cum ipso imperii tempore vita sanctus & religioni maximè deditus continuè S. Benedicti ordinis habitum sub tunicis gereret, spernebatur à suis, tanquam regno ineptus. Quod cū animadvertisset & alia graviora exinde metueret, Virum cui maximè fidebat, ad Abbatem S. Pontii de Tomeriis clam misit, quærique jussit, quomodo sui contemptum cavere deinceps posset. Abbas perlectis literis nuncium, Tarquinii Regis exemplum imitatus, in hortum duxit, altioresque flores & herbarum caules gladio decussit, minoribusque adæquavit, eoque fafacto nuncium dimisit, qui ad Regem reversus

ſus, quæ viderat Abbatem agentem, retulit. Rex conſilium intellexit & in Oſeam civitatem ſe contulit, inde magnum ſe tintinabulum facturum vulgavit, quod in omnibus totius regni ſui locis audiretur. Ad quam rem omnes Arragoniæ proceres convocavit, qui Regis ineptias & deliramenta ridentes & tam magni tintinabuli formam videre percupidi lubentes convenerunt. Eos Rex in partem domus interiorem ab hominum frequentia ſemotam ſingulos admittens quaſi deprehēſos confeſtim jugulari fecit; occiſos deinde patres filiis accitis oſtēdit. quibus idem prorſus facturum ſe dixit, ſi mores parentum ſuorum, qui Regi minus obſequentes fuiſſent, imitarentur. Necavit autē eo tempore quindecim illuſtres Viros ex potentiſſimis Hiſpaniæ proceribus, quorum omniũ nomina recenſet Lucius Marineus Siculus, & hanc narrationem ita cōcludit: *Hac re geſta, tintinabulum non modò per totum Arragoniæ regnum, ſed etiam per univerſum Orbem terrarũ fuit auditum.* *Extremo lib. 8. de reb. Hiſpan.*

Apud Vbertum Folietam memorabilem etiam hiſtoriam legi, quam ut materiæ noſtræ aptiſſimam inſerere etiam lubet. Ita autem ille: Ætatem agebat in aula Cæſaris Trapezuntii eo tempore Megolus Lercarius ob egregias virtutes ſuas ac morum comitatē ingenijq; ſuavitatem cùm Imperatori ipſi, tùm

*lib. 8. hiſt. Genuen. p. 159. b:*

*Circa Annũ Chriſti 1380.*

tùm multis aulicorum Primoribus mire gratus homo Genuensis. Is cum fortè cum adolescente, qui ætatis flore (ut ferebatur) Cæsarī adceptus majorem gratiæ & auctoritatis locum, quàm fœda & obscœna ministeria postularent, obtinebat, latrũculis luderet, altercatione inter ipsos orta, post multam verborum contentionem ad jurgia tandem venerunt, Adolescensq; superbia & ira correptus, Megolum in ore colapho cecîdit, cumque multi consurgentes contentioni se interposuissent, maximaq; pars procerum atq; aulicorum in adolescentem (ut necesse erat) Me-
Lib. 4. p. 171. golo acceptam injuriam ulcisci non licuit, cũ ne Cæsar quidem justis solatijs Megolum injuriam conquerentem adfecisset. At Megolus omnibus iracundiæ suæ aculeis in Cæsarem ipsum versis tantum certaminis adversus illum animo imbibit, ut per omnia ardua & præcipitia ipsummet ulcisci statuerit. Igitur è vestigio se Genuam confert, habituq; sordido & lugubri, adhoc barba & capillo promisso ingentem animi mæstitiam præferens propinquis & Gentilibus suis, adhoc omnibus quacunq; necessitudine se attingentibus cõvocatis, injuriaq; exposita petit, ut sibi in tàm pio & justo negotio ne desint. Enimverò illi haud retractanter duas triremes comparant, omnibusque ad usus bellicos adfatim instru-

ctas

ctas Megolo tradunt, qui nulla mora inter-
posita per tanta maris spacia in Euxinum cō-
tendit, littoraq; Trapezuntii Imperii tenet,
quæ assiduis mari & terra excursionibus infe-
sta faciens ingentia immitis animi atq; inhu-
manæ sævitiæ exempla in miseros captos e-
debat, quos naribus atq; auribus desectis di-
mittebat, cupiditate vindictæ altè animo in-
sidére, mitioribus cogitationibus locum ne-
gante. Cumq; nullū sæviendi finem faceret,
Cæsar quatuor triremes armat atq; in Mego-
lum emittit. Qui ingenium viribus adden-
dum videns, callidè fugam simulat: Eum duæ
ex Trapezuntiis adsequi nituntur, quibus à
sociis longius remotis imminet tergis versis.
Megolus atque divisum jam hostem adgre-
ditur, impetuque primo capit, & in captos
usitato fœdoque exemplo deformandi oris
sævit. Inde in reliquas duas triremes, serius
jam devictis sociis, succurentes magno ani-
mo fertur, quæ parem fortunam passæ vi-
ctoris etiam iram atque furorem sensere. In-
ter eos captivos vir erat ætate ipsa venerabi-
lis cum duobus gnatis egregia oris formâ a-
dolescētibus. Is ad genua Megoli advolutus,
*per tuam*, inquit, *fidem, Megole, duobus his
gnatis parce, omnisque iracundiæ tuæ aculeos in
me effunde, non modo naribus & auribus,
sed vita quoque ipsa ademptâ.* Commotus

Megolus

Megolus & precibus ſenis & miſericordia innoxiæ ætatis non filiis ſolùm, ſed ſeni quoq; ſupplicium remiſit, cadumq; narium detruncatarum ad Cæſarem deferendum ei tradit, nuntiareq; ſuis verbis jubet: nunquam Megolum Lercarium deſtiturum, aut pacata illius littora relicturum, priusquam eum, à quo atrociſſima læſus eſſet injuria, in manus ſuas tradidiſſet, quod Cæſar mœrens & gemens facere coactus eſt. Cumq; adoleſcens puppi conſcenſa coram Megolo ſtetiſſet, procumbens ac lachrymabundus *non ſupplicium*, inqt, *Megole, ſed cruciatus deprecor.* Cui Megolus, *An neſcis*, inquit, *Viros fortes in fœminas ſævire nunquam ſolitos.* Quo perplexo reſponſo non tàm lachrymas quàm famam adoleſcentis perſtrinxit, illoq; illæſo dimiſſo mandat, uti nunciet Imperatori, ſibi quidem de privata injuria ſatisfactum abundè, Patriæ autem ſuæ decori & Genuenſi nomini nondum conſultum. Non igitur ſe prius abiturum quàm Cæſar chirographo ſuo peramplum diverſorium ac nonnullis juribus ditatum Trapezunti nationi Genuenſi ſe ædificaturum promittat. Hac hiſtoria in valuis ſcripta chirographum dedit Cæſar fidesq; promiſſorum utrinq; cõſtitit, diverſorio ædificato & Megolo cum claſſe regreſſo. Concludam, ſi addidero atrociſſimum vindictæ Exemplum, quo ultus eſt immani-

immanitatem Johannis Ballicę præſidis Valentini in Hiſpania Bernhardus Centellia. Hic enim occupata Urbe primum Præſidem capite trűcari jubet, Deinde præfixum id haſtæ tradi necati filio ætate puero, qui id in Urbem geſtaret, uti in altiſſimo poſtmodum palo ſuffixum pro trophæo ſtatueretur. In cujus facti narratione ſic ſcribit Laurentius Valla: *Non ſic crudelitas inimici vindicanda, ut crudelior ipſe judiceris.* Adeo minus immane fuerat filium ſuper paternum cruorem jugulaſſe, quàm religioſum illud patris & filij pignus polluiſſe ac ludibrio habuiſſe. *lib 2. de Ferdinando Aragonia Rege*

---

## CAPUT VII.

## *Congreſſus Principum valde periculoſos eſſe.*

PRudens & verè Politicum eſt monitum Philippi Cominæi Hiſtorici Galli nobiliſſimi, quo caveri vult Principum congreſſus, quia rarò ſortiantur lætos exitus propter multiplices circumſtantias, quas initio libri tertij proponit & exemplis illuſtrat. Quæ ſuper ea re nos apud alios notavimus, placuit in hoc caput conjicere. Fiet enim, ut ſpero, ut ſententiarum & exemplorum cőſpiratio cautiores faciat eos, qui apud principes ſunt τὰ πάντα. Atq; hic Gallus quoq; ſcriptor Co- *Comin.*

minæo ſuccinat. Is eſt Paulus Æmilius Veronenſis. Is deſcribens conventum Richardi Angli & Philippi Auguſti Galli Regum Potentiſſimorum terram Sanctam recuperare armis laudabili inſtituto cogitantium, ita inquit: *In Sicilia hyẽs neceſſario acta, ubi ex diuturna conſuetudine crebroq; inter Reges conloquio quod ſedare iras debuiſſet, ſimultates renatæ altius quàm ante animis inſedêre.* In arcano congreſſu Richardus Franco: Soror tua inquit, à me integra virgoq; eſt, ſponſalia tantùm cum illa cõtraxeram, Gengaria Navarrorum Regis filia uxor mea eſt. Sororem tuam qui tibi cordi fuerit & ipſa res ſibi ſuas habeat. Non diſſimulavit Auguſtus id ſe ægrè ferre, hoc demũ loco, temporeq; ac tàm magnarum rerũ mole patefectum. Gallum excipiat Hiſpanus Scriptor, cujus verba ipſa, quia Cominæi maximè conſentiunt, adponam, Ita autem ille: Anno Chriſti 1463. circa medium Aprilem convenere Ludovicus Rex Franciæ & Henricus Rex Caſtellæ; Rex Franciæ quidem ad ſuam civitatem Bajonenſem, Henricus maximo adparatu & faſtu, plurimis Baronibus & Prælatis ſociatus apud oppidum ſuum Fontis Rabidi ſe contulit. In finibus itaque utriusque Regni ambo potentiſſimi principes cõvenerunt, utinam ſic animis ſicut corporibus colloquuti: Ferunt enim nonnulli diæ-

*Rodericus Santius parte 4. hiſt. Hiſp. cap. 37. p. 426.*

*Comin: Fontẽ rapidum vocat.*

tam illam nonpaucas dissidii occasiones inter eosdem Reges parturiisse, adeò, ut *qui pro unitate convenerant, divisi discederent, & qui incogniti unanimes accesserant, cogniti exulcerati animis disjungerentur, qui item aliis* (Johanni & Carolo patri ac filio Arragonum Regibus) *pacem componere venerant, inter se dissidia seminarent, dumq; alienas lites exstinctum irent, suscitarent, suas.* Et quanquam verum illud Ciceronis sit, Amicorũ præsentiam, victum, cõsiliaq; amorem augere plerumq; tamen ex ipsa magnorum Principum mutua conversatione & confabulatione odia nascuntur, præsertim cum propter ea conveniunt, quæ uterque adipisci nequit. Verius enim hic id Scipionis est, infidam Regum amicitiam dicentis, cum de honore gloriaq; agitur, Atq; hic probius mihi aliud Ciceronis adseverantis rarò inter tumidos amicitiam constare.

Hispano huic Bohemum subjungam Dubravium, qui describit nobis congressum Friderici Imperatoris & VVenceslai, Ottocari Lusci IV. Bohemiæ Regis, qui magno cum Imperatoris periculo conjunctus fuit: Convenerant Bambergæ uterque, VVenceslaus quidem à Vilibrando Madeburgensi Præsule pacis publicæ turbatæ reus factus erat, quo audito, Cæsar statim à prandio Regem acciri in conclave uno tantum comite comitatum

jubet, Comes Vogirius erat, ubi comparuisset, Cæsar itidem uno Pontifice Bambergensi adhibito acerbius illum quasi pacis turpatorem appellat, cunctaque ab illo repetit, quæ quondam patri illius dono dederat. Cõfusus VVencεslaus re improvisa paulum initio reticuit, mox recepto animo liberè satis sese Cęsari purgavit, quin mea, inquit, mihi red. hiberi volo, quod nisi properè fiat ab invito per vim extorquebo. Pertinacius deinde obsistentem obluantemq; VVencεslaum, nec minas Cæsaris magni pendentem à se manib. retrudit. Ambo autẽ vino haud minus quam ira æstuabant, ut fieri solet, à lauto prandio. VVenceslaus igitur retrusus dextram Cæsaris manum sua læva arripit, alterâq; stringit gladiũ, sancteq; jurat, se illum in corpore Cæsaris demersurum, si non sospes omnibus suis fortunis saluis dimittatur. Quod dum ille facit, Vogirius interim præsulem Bambergensem, qui solus Cæsari aderat, tanquam viribus valentior arctissimo complexu retinet, ne cubiculo egredi, neve vociferando quemquàm in auxilium vocare posset. Ita Cæsar intra Sacrum, quod dicitur, & saxum positus sanctè promittit, se nihil Regi nociturum, neq; quicquam illi adempturum. Satius videlicet fuisset vel abstinuisse arcano congressu, vel coram pluribus id egisse.

idem

Idem Dubravius aliud quoque huic rei ſuppeditat exemplum jocoſum quidem, ſed videlicet etiam jocoſorum apud prępotentes diuturna memoria & mordax. Uladislaus Bohemiæ Rex Caſimiri Poloni filius, cum diu apertas cum Matthia Ungariæ Rege inimicitias exercuiſſet, bellis Turcicis tandē plus ſatis implicitus Matthias miſit ad Uladislaū Johānem Varadienſem Epiſcopum natione Moravum, ut eum ad colloquium de pace tranſigendum invitaret, eiq; rei certum locum certumq; tempus conſtitueret. Placuit utrinq; menſe Junio in Moravia ad Urbem Olomutium conveniri. Non decedebat Matthias de more ſuo ambitioſo, ſed ita tardè iter faciebat, ut quindecim dies Uladislaus in novo, quod vocant, oppido exſpectare coactus fuerit, antequam Olomutium ille ingrederetur. Inde quoque cum nova ambitione obviam prodibat, nudo videlicet capite ac viridi tantum ſerto coronato, ne ipſe caput ſuū hoſpiti detegeret, ſed eum potius honorem ab illo ſibi haberi ambiret. Verùm ea in re bellè falſus eſt; ſiquidem Bohemi & ipſi ſatis ambitioſi cognita Matthiæ arte, Regi ſuo inſuſurrant, ut tegmen capitis ſui Zona ſic plane innodet, ut nodos ipſe explicare nequeat. Quo facto venit, ut præter omnem opinionem voluntatemq; ſuam Hungarus nudus capite ſalutaret tectū

capite Bohemum, atq; in oppidum hospitem deduceret. *Sic videlicet ars deludebatur arte.*

## CAPUT VIII.

### Ἀγχινοίας & *solærismorum Politicorum aliquot exempla.*

ELeganter cum Syracide conspirat profanus scriptor Plinius in Epistolis: *Non omnibus eadem conveniunt*. Præterea faciendi aliquid vel non faciendi vera ratio tùm hominum ipsorum, tùm rerum ac temporum à sapientibus initur. Observavit hoc præceptum præstantissimus dominandi Magister Augustus, qui cum primum Imperium Romanum sub nomine Principis adcepisset, civile rebatur misceri voluptatibus vulgi, & Tiberius sapientissimè populum per multos ante annos molliter habitum non audebat ad duriora vertere. At multi fuere contra, qui tempora discernere nequirent, quorũ aliquot hoc capite observatos olim lubet colligere.

Demosthenes gravissimè hac in re impegit, qui cum sese opponeret infelici evẽtu Persis, tueri sese omninò volebat Themistoclis summi Græcorum Principis exemplo, adeoq; sic in Oratione περὶ στεφάνου argumentatus est: Themistocles Persas Græcorum cervicibus imminentes fortissimè aggressus est, & gloriosi-

riosissimè vicit. Idem ergò ego quoq; debeo facere. Antecedens docuit pugna Salaminia. Connexi ratio nulla erat. Themistocles enim heroico prorsus & Martio ingenio erat, adeoq; divinitus patriæ servandæ datus & datus præterea integra republica; Demosthenes solum Orator erat & labante jam atque fatiscente republ. Fallebatur ergò & peccabat Demosthenes, non item Demades Orator ejusdem ætatis, collega Demosthenis, qui cum reprehenderetur, quòd à Demosthenis consilijs sua sejungeret, eleganter respondit. Temistocles, inquit, quem Collega meus æmulari vult, integram habuit navim: Ego verò & collegæ mei solum πολιτευόμεθα τὰ ναυάγια τῆς πόλεως fractæ navis & collisæ solum tabulas colligimus. Unde nec id possumus, quod Themistocles, nec audere debemus.

Non magis prudenter etiam Cicero turbulẽtissimo reip. tempore potẽtissimi hominis Marcij Antonij odiũ & inimicitiã sibi cõciliavit, quàm ἄκαιρος iste apud Theophrastũ qui ad nuptias invitatus inter fœminas considens vehementissimè in muliebrem sexum debacchabatur, quem Ciceronis Solœcismũ verè & graphicè notat Brutus in Epistola ad Atticum: *Optimo*, inquit, *animo fecisse Ciceronẽ omnia scio. Quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in remp.? sed quædam mihi videtur, quid? dicam imperitè? vir omnium pruden-*

*tissimus* (errat vero καὶ τ̃ σοφοῦ σοφώτερος) *ambitiosè fecisse: qui valentissimum Antonium suscipere pro rep. non dubitarit inimicum.* Hæc Brutus, qui subjungit: *Nescio quid scribam tibi, nisi unum, pueritiæ cupiditatem & licentiam potius esse irritatam quam repressam à Cicerone.* Infatuatus erat Cicero successibus oppressionis conjurationis Catilinariæ, adeoq; existimabat, eadem se facilitate oppressurum Antonium, sed observare debuerat diversa tempora statusque publici differentias. Sic ab eo, quem opprimere cogitabat, oppressus ipse non fuisset.

Ciceronem C. Iul. Cæsar sequatur, qui quãquam ad omnia summa natus videbatur, tamen in hoc turpiter & suo exitio lapsus videtur, quod principatum armis quasitum & occupatum, ne monitus quidem armis retinere vellet. *lib. 3.* Verba Vellei hæc sunt: *Laudandũ experientia consilium est Pansæ atq; Hirci, qui semper prædixerant Cæsari, ut principatum armis quæsitum armis teneret. Ille dictitans mori se quàm timeri malle, dum clementiam, quàm præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est.* At meminisse debebat Salustianum illud: respp: facillimè illis artibus retineri, quibus partæ sint, quod acceptum à Polybio videtur, qui lib. 10. Hist. Carthaginenses reprehendit, καὶ τὰ ἐοικότως ἔπαθον· Ἄλλως μὲν γὰρ ἴσω ἔλαβον δεῖν κλᾶσαι τὰς ἀρχὰς, ἄλλως δὲ τηρεῖν, ὡς

ἔμαθον δὲ, διότι κάλλιστα φυλάττουσι τὰς ὑπεροχὰς. οἱ μάλιστα διαμείναντες ἐπὶ τῶν αὐτῶν προαιρέσεων, ἃς ἐξ ἀρχῆς κατεστήσαντο τῆς δυναστείας. Cautiores circa hanc rem Turcæ, de quibus Lazarus Soranzius in Ottomanno: Imperium Turcicum bellica virtute partum eſt, exinde per eandem creſcit & vi magis, quàm origine ſuſtinetur. Unde Turcarum Tyrannus ſubditos ſemper novis bellis implicatos tenet. Notabile quoq; eſt Helvidij Priſci exemplum, de quo Xiphilinus. Helvidius Priſcus Thraſeæ gener imitari ſoceri loquendi libertatem ſtudebat minus opportunis temporibus, atq; cum eſſet Prætor, nihil prorſus faciebat, in honorem Imperatoris, ſed potius ei ſemper maledicebat. Ob eam cauſam captus à Tribunis plebis lictoribus traditus eſt, præſtitiſſet Phocylidis monitum eum ſecutum, jubentis, Καιρῷ δουλεύειν, μηδ᾽ ἀντιπνεεῖν ἀνόμοισι. Imprudenter etiam admodum Gandavi fecêre, qui quum ab Anglo auxilium legatis miſſis peterent, eadem legatione debitum ducentorum millium aureorum à Rege repetiverunt. Adeò nemo, ibi ut loquitur Ammianus Marcellinus lib. 16. rationem temporis advertebat. Verum hæc de ſolœciſmis ἀκαιρίας hoc loco ſufficiant. Galbæ, Piſonis, Pertinacis, itê Hadriani VI. Pontificis prodidit in Arcanis Rerum p. amicus & collega noſter doctiſſim. *Arnoldus Clapmarius.*

# CAPUT IX.

## *Fatorum vim ineluctabilem esse conspiratio gravissimorum Auctorum.*

QUæ de Fato veterum Philosophorũ Disputationes sunt, notius est, quam ut repeti debeat. Subtilitate autem nostrum institutum excedit. Optimè sensisse videntur illi, qui Fatum Dei Opt. Max. decretum de rebus nostris censuerunt. Vim ejus ineluctabilem esse gravissimi quiq; Scriptores unanimiter statuêre. Id quod ex his testimonijs cuivis obvium erit & planum. Atq; initium quidem à Poetis faciemus, in quorum numero Pindarus suo merito familiam nobis ducat, cujus verba sunt Pythiorum Ode 12.

Τόγε μόρσιμον ὐ παραφύκτον.

Palladas eleganti disticho idẽ complexus est:

Εἰ τὸ φέρονσε φέρει, φέρε καὶ φέρου εἰδὲ ἀγα-
νακτεῖς,
Καὶ σαυτὸν λυπεῖς καὶ τὸ φέρονσε φέρει.

Hoc est: *Quæ mittunt tibi fata, feras sic ipse ferere.*
*Sin & pugnabis, te quoq; fata trahent.*

Euripides in Heraclidis.

Μόρσιμα ὐδὲ φυγεῖν θέμις, ὐ σοφία τις ἀπώσεῖε.

Theocritus Idylio 31.

——— ἐκ ἔστιν ἀλύξαι

Ἀνθρώπους, ὅτι μοῖρα κατὰ γλωσσῆρος ἐπείγει.

Idem quod Poëtæ monuêre, inculcarunt alij quoq; ſcriptores. Phanocles apud Clementem Alexandrinum lib. 6. ſtromatum: ἀλλὰ τὸ μοιράων νῆμ' ἄλυτον ἐδέποτ' ἔστιν ἐκφυγεῖν ὁποσειγῆν ἐπιφερβόμεθα. Maximè autem fatorum vis apud Herodotum extollitur, quem ſi audias, reſpondit Crœſo Phœbus, interrogāti quare de ſe benè meritum in eas calamitates conijci paſſus eſſet, ſortem fato deſtinatā fugere Deo quoq; impoſſibile eſſe. Magis impiè Muſa 7. Mardonius ut fata fiant, Deos invidere etiam. Ammianus Marcellinus, ante eum etiam Velleius Paterculus eleganter monent, uti fatorum curſus procedat, eripi mentem & conſilia hominibus. Verba Paterculi ſunt, Inevitabilis & ineluctabilis vis fatorum eſt, cuiuscunq; fortunam mutare conſtituit, conſilia conrumpit. Rotundius Marcellinus, ſolent manum injectantibus fatis hebetari ſensus hominum. Agnovit hoc Lycurgus, in oratione contra Leocratem, cū inquit: Οἱ θεοὶ ἐδὲν πρότερον ποιἕσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παραγἕσι: In quam rem ſequentes verſus laudat:

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτει τίνα,
Τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν,
Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
Γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν, ὧν ἁμαρτάνει.

hoc eſt: *Iratus ad pœnam Deus ſi quos trahit,*
*Auferre mentem talibus primùm ſolet,*
*Caliginemq; offundit, ut ruant ſuas*
*Furenter in clades. &c.*

Et velut ex Tripode Homerus:

*Hinc Deus ut pereat privabit lumine mentis.*

Lib. 9. Quotrahi & illud Lucani poteſt, cujus ſupra quoq; mentionem fecimus:

*Hoc placet, ô Superi, cum vobis vertere cuncta*
*Propoſitum. noſtris erroribus addere crimen*
*Cladibus irruimus, nocituraq; poſcimus arma.*

P. Syrus: *Stultum facit fortuna, quē vult perdere.*

Herodot. in Calliope. Elegans item in hanc rem Mardonii Perſæ apud Antaginum Thebanum cœnantis dictū ὅτι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ: οὐδὲ γὰρ πιστὰ λέγουσι ἐθέλει πείθεσθαι, *Quod à Deo decretum eſt; ut fiat, ab hominibus non poteſt averti: Neq; enim rectè conſulentibus quiſquam vult obtemperare.* Lib. 40. Nec deſunt hujus rei Exempla. Scribit Dio de militibus Craſſi in Parthiam tendentibus: Sequebantur, neq; verbo aut re quiſquam reſiſtebat, ſive legi parentes, ſive quod jam animis conſternati nihil ſalutare vel agere vel deliberare poterāt. Et ſubjungit: Πάντα γοῦν καὶ τ' ἄλλα καθάπερ ὑπὸ δαιμονίου τινὸς κατακεκριμένοι καὶ ταῖς γνώμαις καὶ τοῖς σώμασιν ἐσφάλλοντο. Hoc eſt: *Quin etiam in cæteris rebus omnibus, velut à numine quodam condemnati & ſententiis & corporibus titubabant:*

In

In quo pulchrè Dioni convenit, cum Appiano, cujus verba ſunt: ὑπὸ δὴ τῶν δὲ πάντων ἐκ- *in Syriac.* ταραττόμενός τε καὶ θεοῦ βλάπτοντος ἤδη τοὺς λογισμούς. ὅπερ ἅπασι, προσιόντων τῶν ἀτυχημάτων ἐπιγίγνεται. Hoc eſt: *In omnibus erat conſternatus I. eo ipſo conſilia ejus corrumpente, quod ingruentibus omnibus gravioribus calamitatibus fieri conſuevit.* Apud Ammian. Marcellinum monetur Im- *lib. 23.* perator Iulianus literis Saluſtii Galliarum præfecti, ſuſpenderet expeditionem in Parthos, nec ita intempeſtivê, nondum pace numinum exorata irrevocabile ſubiret exitium. Subjungit Hiſtoricus, poſthabito tamen ſuaſore cautiſſimo fidentius ultra tendebat Julianus, *quoniã nulla vis humana vel virtus meruiſſe unquã potuit ut quod præſcribſit fatalis ordo nõ fiat.*

De Mamfredo Siciliæ Rege pugnante contra Carolum Andiovinum Anno Chriſti 1265. ita Collenutius: Mamfredus ubi pri- *lib. 4.p.171.* mum hoſtes conſpexit, exiſtimavit ſatius eſſe cum ijs feſſis pugnare, quàm tempus ad recreationem concedere: ſed id tunc minus ſanè prudenter: ſi enim aliquamdiu à pugna abſtinuiſſet, facile viciſſet, quod neq; ipſis commeatus, neq; equis ullo modo ſuppetebat, & licuiſſet interea illi copias ſuas per regnum diverſis locis diſtributas cogere. *Verum* enimvero, *quoniam fatalis ei jam hora inſtabat, non amplius conſiliis locus erat.*

CAPUT

# CAPUT X.

## *Alias esse belli, alias pacis artes, & longè facilius esse bellum gerere quàm pacem firmare.*

Legenti mihi Vellei Paterculi de Cajo Mario judicium, *Virum eum quantum bello optimum, tantum pace pessimum fuisse*, à quo Paulus Æmilius accepisse videtur, quod de Childerico Gallorum Rege scribit: Meroveo successit filius Childericus, vir bello clarissimus, pacis artibus minus nobilis, & conferenti cum Taciti judicio, quod tribuit Cluvio
1. *histor. c. 8.* Ruffo, cum inquit: E provinciis Hispaniæ præerat Cluvius Ruffus vir facundus & pacis artibus, belli inexpertus, venit in mentē cogitare, quænam istæ pacis artes essent, à militarib. sejunctæ. Videbam. n. de Albino dictū à Xiphilino: Eum quidem nobilitate generis & doctrinæ Severo superiorē constitutū, sed Severum scientiâ rei militaris & peritiâ ducēdi exercitus prævaluisse. Undè certè suspicari quis poterat, per artes pacis capiēdas esse eas, quas nos ingenuas & liberales dicere consuevimus, quæ & pacis solùm tempore in pretio sunt, & ut excoli possint, pacem omninò desiderant. Nam quod ille eleganter: *Silent inter arma jura & leges*, id verissimè de omnibus arti-

artibus liberalibus dici podest. Verum altius rem & diligentius expendenti aurem vellicabat Aristoteles, qui in Politicis pacis artes duas facit, quarum altera honestissimum facit otium, *Sapientia* ei dicta; altera honestissimum negotium, quæ *prudentia civilis* dicitur. A quibus artibus sejunctæ sunt artes bellicæ, quæ consistunt in *virtute*, quam *fortitudinem* vulgo adpellamus, & *Prudentia militari*. Neq; verò mirandum est, virtutes has in uno, ut sic loquar, individuo non convenire, cum totæ gentes aut provinciæ, aliæ quidem bello gerendo, aliæ paci colendæ ineptissimæ fuerint, sintq; hodieq;. *lib. 7. c. 14.*

Spartana olim respublica tota militaris erat ad proferendi Imperii sui fines legibus initio instituta formataq;, nec defuit institutis eventus. Quam diu enim bella gessere, inconcussè stetit viguitq; respublica. At postquam, ut inquit Polybius, Imperium Græciæ pugnando consequuti sunt, vix duodecim annos in quiete & sine offensione tenere potuerunt. *2. histor.*

Scythæ & Persæ totam Asiam, sicut illi totū penè orbē bellis subjugatum diuturnis, diu retinere non potuere, cujus rei causam reddidit Philosophus 2. Polit. Prior est, quia nesciebant uti otio vel consuetudine belligerandi, vel etiam compendii caussa. Bellis enim

enim perpetuò adsueti non poterant in pace vivere; quod si foris hostes deessent, domi quærebant, & intestinis morbis consumebãtur. Sic Græcia periit, si. Romana resp. vicinis armis domitis, in sua viscera sæviit, suisq; viribus concidit. Quod si maximè, ut loquitur Tacitus, militaribus animis fomenta quędam adhibeantur, ut pacem ferre velint; tamen sunt pauci aliqui, quibus res bellicæ quęstui fuere, aut qui alias pacis tempore bonis claruére, qui ut anguillas capiant, hoc est, rem faciant, turbant aquas, & novorum bellorum semina spargunt, si non foris, in ipso etiam Reip.: gremio. Talis Catilina fuit apud Romanos, & Antonius: apud Græcos Periãder, Pausanias, & alij Tales illi, quos describit Frossardus lib. 4. Altera caussa adfertur à philosopho, quia pacis artes nullas edocti essent, bellicis studiis ut inferioribus contenti. Id quod docet Aristotel. ex natura mediorum & finis: Finis, inquit, semper est nobilior mediis ad eum ducentibus: Ergo & pax bello melior, & proinde pacis quoq; artes bellicis meliores, & quia meliores, ideò difficiliores, & quia difficiliores, ideo rariores cultu. Hęc philosophus: inde nos illud haurimus: Facilius esse bellum gerere, quàm pacem firmare. In qua sententia maximè fuisse video Principem callidissimum Tiberium, de quo Tacitus 2. Añal. Lætior

*2. Annal.*

tior Tiberius, quia pacem in Germaniâ sapientiâ firmaverat, quam si bellum confecisset per acies. Et Paulò post, cum turbaret Rhescuporis, subjungit Historicus: Nihil æque Tiberium anxium habebat, quam ne composita turbarentur: & 4. Añal. Immota Tiberio pax aut modicè lacessita. Nec dissensit à Tiberio Nobilissimus & exercitatissimus Imperator Belisarius, qui apud Procopium in hæc verba ad Mirrhanen, (quod est apud Persas dignitatis vocabulũ) scribit: Στρατηγὸς μὲν οὖν ἄριστος οὗτος ἐκεῖνός ἐστιν, ὃς δὴ ἐκ πολέμου εἰρήνην διατίθεσθαι ἱκανὸς πέφυκε: Is est verè optimus Imperator, qui ex diuturno bello pacem firmam constituere & conficere novit. Rationes reddit Lycus ap. Senecam: *1. Persicorum* *Herc. Fur. v. 367.*

*Si æterna semper odia mortales agant*
*Nec ceptus unquam cedat ex animis furor,*
*Sed arma felix teneat, infelix paret,*
*Nihil relinquent bella, tum vestis ager*
*Squallebit arvis, subditâ tectis face*
*Altus sepultas obruet gentes cinis.*
*Pacem reduci velle, victori expedit,*
*Victo necesse est.*

Audin': expedit victori pacem induci velle: non tantum pulchrum videlicet & gloriosum est, ut volebat 3. hist. Tacitus, c. 70. Animadvertit hoc imperator Constantius apud Ammianum Marcellinũ: qui, cum hostes A- *lib. XIV.*

 leman-

lemanni optimates ſuos miſiſſent delictorum veniam petituros & pacem ex tribunali oratione ad milites habitâ, in hęc verba diſſeruit: Arduos veſtræ gloriæ gradus, quos fama per plagarum quoq; accolas extremarum diffundit, excellenter accreſcens, Alemannorum reges & populi formidantes, per Oratores, quos videtis, ſubmiſſis cervicibus conceſſionem præteritorum poſcunt & pacem: quam ut cunctator & cautus utilium monitor, ſi veſtra voluntas adeſt, tribui debere cenſeo, multa contemplans: Primo ut Martis ambigua decernãtur, dein, ut auxiliatores pro adverſariis adſciſcamus, quod pollicentur: tum autem, ut incruenti mitigemus ferociæ flatus, pernicioſos ſæpe provinciis: poſtremò id reputantes, quod non ille hoſtis vincitur ſolus, qui cadit in acie, pondere armorum oppreſſus & virium, ſed multo tutius, etiã tuba tacente, ſub jugum mittitur voluntarius, qui ſentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in ſupplices animos deeſſe. Inſummâ tamquam arbitros vos, quid ſuadeatis, opperior, ut Princeps tranquillus temperanter adhibere modum allapsâ felicitate decernens. Non enim inertię ſed modeſtię humanitatiq;, mihi credite hoc, quod recte conſultum eſt, adſignabitur. Rectiſſimè concludit Imperator,

non inertiæ ſemper eſſe, conſentire in pacem: *lib. 32.*
nam & offerunt ſæpe pacem, qui cogere poſſunt, ut de Romanis loquitur apud Livium Ariſthenus Prætor Achæorum: & malo ſuo *lib. 24.*
ſenſere Macedones apud Juſtinum, Gallos pacem offerentes ſuperbè & contumelioſè reiicientes. Diogenes item Imperator apud Zonaram Sultani ſuper pace legationem cõtemnens & ridiculo faſtu repudians. Mediæ deniq; Præſes Stephanus, cum conveniretur â Cuthimuſo, referente Cedreno. Quorum locorum obſervationem Cl. Grutero Amico noſtro magno lubens meritoq; reſcribo & gratiam eorundem omnem deberi volo.





# DECADIS III.

## CAPUT I.

### *Ædificia etiam in suspicionem affectatæ Tyrannidis venire solita.*

SCitum est de plebe judicium, eam quicquid cupiat, cupienter cupere. Id quod maximè adparet in studio libertatis. Eam enim ita calidè amat, ut vel levissima etiam in suspicionem vocet ac trahat. Argumento est, quod apud Historicos legere memini, Ædificia etiam cultiora paulò, aut editiore loco exstructa dolorem oculis populi ingenerasse. Publicus Valerius Consul Romanus collega Bruto ab Hetruscis cæso postquam Romam rediit, nata, ut sunt mutabiles vulgi animi, ei ex favore non invidia modò est, sed suspicio etiam cum atroci crimine. Regnum eum adfectare fama ferebat, quia nec collegam subrogaverat in locum Bruti & ædificabat in summa Velia, ibi alto & munito loco arcem inexpugnabilem fore. Hæc dicta vulgo creditaq; cum indignitate augerent consulis animum, vocato ad Concilium populo, submissis fascibus

*Liv. decad. 1. lib 2. Sext. Aurel. Victor. Plutarchus.*

in

in concionem ascendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit, submissa sibi esse Imperii insignia, confessionemq; factam, populi quàm Consulis majestatem vimq; majorẽ esse. Ibi audire Jussi, Consul laudare fortunam Collegæ, quod liberata patria in summo honore pro repub. dimicans, matura gloria nec tum se vertente in invidiam, mortem occubuisset, se superstitem gloriæ suæ ad crimen adq; invidiam superesse ex liberatore patriæ ad Aquilios Vitelliosq; recidisse. *Nunquamnè ergò*, inquit, *ulla adeò à Vobis spectata virtus erit, ut suspicione violari nequeat? Ego me illum acerrimum Regum hostem ipsum cupiditatis Regni crimen subiturum timerem? Ego, si in ipsa arce Capitolioq; habitarem metui me credere possem à civibus meis? Tam levi momento mea apud vos fama pendet. Adeone fundata est leviter fides, ut ubi sim, quàm qui sim, magis referat? Non obstabunt P. Valerii ædes libertati vestræ, Quirites, tuta erit vobis Velia, deferam non in planum modò ædes, sed colli etiam subiiciam, ut Vos, supra me suspectum civem habitetis. In Velia habitent aut ædificent, quibus melius quàm P. Valerio creditur libertas.* Delata confestim materia omnis infra Veliã & ubi nunc vicus publicus est, domus in infimo clivo ædificata. Addit Plutarchus publici æris beneficio domum eum postea magnificentissimam exstruxisse. Apud Tacitum in 3. *Annal.*

ruinæ Pisonianæ narratione inter alia hæc quoq; legere memini; *Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens fisto ornat u convivium q; & epulæ & celebritáte loci nihil occultum.*

Nec solum hoc Romanis usurpatum, sed deinceps quoq; in Italia observatum Historici adtestantur. Ubertus Folieta scribit: Anno Christi 1165. durante civili dissensione Genuæ, sed per civitatis Consules composita & ad inducias cõpulsa, Ingonis & Amiconis à Volta turbulenti ingenii hominum ædibus & turribus, quæ in media Urbe sitæ tanquam arces quieti civitatis imminentes ac seditiosorum receptacula erant, in potestatem à magistratu redactis, civitas paulũ interquievit.

*lib. 2. hist. Genuens. p. 35. 6.*

Paulus Jovius de Luca Pitto narrat, suspectum eum Cosmo Medici conjurationis factum esse, quod Lucas ad Romanam portam Florentiæ editiore in loco ad effigiẽ munitæ arcis ingentem domum extruxerat, ut Cosmum magnificentiæ gloria superaret, qui suas ædes trans Arnum amnem plano Urbis loco ex veteris Architecturæ præceptis elegantissimas ædificasset.

*lib. 1. de vita Leonis X.*

Johannis etiam Ludovici Flisci domus Genuæ conjurationis detectæ pœnas luit. Cum enim Princeps conjurationis is, quem dixit, domũ in Carimano latè magnificèque ædificatam habitaret, quæ Urbi amplæ imminens

mẽs quasi dominatum petere videbatur, convocatis in eam amicis, consilij sui rationes exposuisset, detectâ conjuratione, supplicio de conjuratis sumpto, arx Montorium solo æquata & ad perpetuam rei memoriam Fliscana Genuæ domus perantiqua & magnificis sumptibus exstructa à fundamentis eversa est. Hodie luxus iste ædificiorum non adtendi solet, securitate temerariâ omnium animos excœcante.

## CAPUT II.

### *Miles contra suæ nationis milites non ducendus.*

QUæ communis nuper fama vulgaribus indiciis tulit, rebellem Turcici Tyranni quemdam Matthiæ Secundo Ungaro vim suam contra Tyrannum, quem justis armis adpetere videri volebat, obtulisse, Matthiã autẽ familiæ suæ decoris retinentissimum animosissimè repudiasse, cœpi ejus consilii caussas ut homines de Scholâ solent, animo versare, & quanquam à potentissima familia & solas imperandi artes antiquo originis tractu longissimè retrò edocta, nulla nisi prudẽtissima expectare possem, recollecto memoriæ veteris thesauro tandem animadverti, inter militaris prudentiæ scita non esse contemnẽdum hoc,

cavendum videlicet uni è imperatori, ne militem in exercitu suo habeat eum, quem eadem natione collectum habeat hostis. Cum enim in omni exercitu fides atque disciplina dominentur, quid boni speres, ubi vel disciplina militi vel obsequiũ Imperatori vel impunitas peccanti sit in tuto. Ei rei quædam partim monita, partim exempla dabo.

Scribit Polybius lib. 3. Hist. cum Hannibal primo prælio Scipioni superior fuisset, isq; retrocessisset, Gallos mox Legatis ad eũ missis, sese Hannibali addixisse. Mox subjungit: Qui Romanis militabant Galli, ut secundioris fortunæ spem Carthaginiensibus affulgere vident, communi consilio tempus ad insidias circumspectabant, in suis quisque tentoriis se continet. Igitur cum à cœnâ ad quietem se recepissent; qui intra vallum erant, dissimulato per reliquam noctem dolo, circa vigiliam quartã sumtis armis Romanos, qui proximè castra metabantur, invadunt, multis occisis nec paucis vulneratis, tandem capitibus mortuorum præcisis ad Carthaginiẽses transeunt, pedites ad bis mille: Eqq: paulò minus ducenti:

Seditionem adversus Romanos excitatam Ambiorix ita excusat; Galliæ commune consilium esse uno uti die omnibus hybernis Cæsar expugnaretur, ne qua legio alteri legi-

legioni subsidio venire posset, non facilè Gallos Gallis negare potuisse, præsertim cum de recuperanda comuni libertate consilium initum videretur. *lib. 5. de bell. Gall. 27.*

Clarius hæc idem edissertat lib. 6. Cum enim Labienus Cæsaris legatus auspiciis sui Principis Gallos contra Gallos pugnare, & ipse omnibus difficultatibus occlusus pugnādi copiam hostibus facere nollet, ita Cæsar: Celeriter hæc ad hostes deferuntur, ut ex magno Gallorum equitatus numero nonnullos adversis Gallicis rebus favere natura cogebat. Hæc Cæsar, satis, ut opinor, clarè. Disertius tamen nisi fallor, Ammianus Marcellinus, cujus hæc sunt verba: Cum, inquit, Cabillona Imperator noster movisset, ventumq́; esset propè Rauracum ad supercilia fluminis Rheni, tentabant Romani omnia, & imperator cogitationibus magnis adtonitus, quid capesseret, ambigebat. Ecce autem ex improviso index quidam regionum gnarus advenit, & mercede adcepta vadosum locum noctu monstravit unde superari potuit flumen, & potuisset aliorsum intentis hostibus exercitus inde transgressus nullo id opinante cuncta vastare, *ni pauci ex eadem gente, quibus erat honoratioris militiæ cura commissa populares suos hæc per nuncios docuissent occultos.* *de bello Gall. cap. 7.* *lib. 14.*

Hæc Historici veteres, quibus credo *4. histor. c. 18*

non injuriâ possumus addere Tacitum: Lupercus, inquit, Legionarios è præsentibus Ubios è proximis Treverorum equites haud longè agentes raptim transmisit; *addita Batavorum ala, quæ jampridem corrupta fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis, majori pretio fugeret.* Quæ fuit veterum super hac re sententia, eadem est recentiorum.

*hist. Hisp. part. 3, cap. 17.* Rodericus Santius Historicorum sui ævi non postremus planè in hanc rem his verbis: Ferunt Hispanorum Annalia, quod cum Albenaye Rex Maurorum cum magnis copiis Castellam Ramiri Secundi Alphonsi fratris Froilæ filii intrasset, nonnulli Barones Ramiro persuadere voluerint, stipendiis admittendos esse quosdam barbaros, dictos Alarabes inimicos Albenayæ, illique se velle juvare Christianos promittebant, si militaria eis stipendia solverentur, sed plures illis contradicebant.

*lib. 4. hist.* Guicciardinus item, Italorum ut experientissimus ita doctissimus Scriptor de Helvetijs ita scribit; petenti Ludovico Mediolani Duci, uti exercitus Novariâ egrederetur, ab Helvetiorum Ducibus apertè repugnatum fuit, quod se absque suorum magistratuum mandato cum propinquis & fratribus, cæterisque suæ gentis hominibus pugnare nefas esse dicerent: quibus paulò post

post quasi ejusdem essent exercitus permixti, quàm primum in patriam redire velle dixerunt, quæ res postea fecit, ut Dux captus fuerit, usq; adeò miserando spectaculo, ut vel hostibus ipsis lachrymas expresserit. Gerhardus de Rhoo, quod Ludovico Sforrię adcidit, eodem in loco cum & in suis castris & in adversis Helvetii essent, adcidisse idem scribit Maximiliano I. Nam, inquit, cum hic obsidione Mediolanum cincturus esset, Helvetiis refertum, quos ipse secum in castris Helvetios habebat, mox ob non soluta stipendia tumultuari, pugnam in cognatos detrectare, imperia contemnere, seque aut Mediolanum aut domum abituros palàm dicere cœpere, nisi intra quatuor dies pecunia daretur. Non dissimulabo tamen Disputationem, quam habet Rodericus Santius, dicto supra loco. Contradicentibus & Maurorum auxilia repudiantibus Ramirus Rex ut aliter Cato Senior respondit: errare eos, id quod dilemmate docere posset, Aut vincentur isti Barbari, qui auxilia sua nobis offerunt, aut vincent. Si vicent, præda hostilis stipendii ipsis erit loco, & nos nihil numerabimus; Sin verò vincantur & cadant, quis petet à nobis stipendia? Sed hæc fortasse ad Disputationem De auxiliaribus militibus pertinent de quibus alio loco.

*lib. 12. p. 479.*

*hist. Hispan. parte 3. c. 13.*

CAPUT

# CAPUT III.

## *Militarem disciplinam ne veteribus quidem severè semper habitam aut custoditam.*

GRaviter admodum & ex dignitate Reip: Romanæ Paulus JCtus scribit, Disciplinam militarem Romanis antiquiorem fuisse, ipsa liberorum charitate. Mihi tamen versanti in Historiarum lectione sæpius visa est ea nō mediocriter emollita ac labefactata fuisse adeò, ut sępè solutior etiam nostrate credi viderią; potuerit. Et ut initium à C. Julio Cæsare faciam, scribit de eo Suetonius: Eum in expeditionibus tessellata & sectilia pavimenta circumtulisse. De castris Antonii Horatius:

Epodων. Ode 9. *Interq; signa, turpe, militaria*
*Sol aspicit conopeum.*

Quod Gramatici velum arcendis & excludendis culicibus, quos illi κώνωπας dicunt, factum interpretantur. Id turpe poëta vocat, quia molle & delicatum thalamis, non castris aut militiæ decorum. De corruptela disciplinæ militaris Plinius quoq; fidem facit, lib. 37. qui Neronis viatoria cubicula unionibus cōstructa reprehendit. De patina Domitiani falsè admodum Satyricus, cum inqnit:

Sed

——— ——*sed ex hoc*
*Tempore jam Cæsar figuli tua bella sequentur.*

Idem de Ottonis speculo falsissimè ita canit:

*Res memoranda novis Annalibus, atq; recenti*
*Historia Speculum Civilis sarcina belli.*

Ammianus Marcellinus insignem huic lib.
rei locum habet. Adcessere flagitia discipli-
næ castrensis, cum miles cantilenas medita-
retur pro jubilo molliores & non saxum e-
rat, ut ante hac armato cubile, sed pluma
& flexiles lecti, & graviora gladiis pocula.
Testa enim bibere jam pudebat & quereban-
tur ædes marmoreæ, cum scriptum sit in An-
tiquitatibus, Spartanum militem coërcitum
acriter, quod procinctus tempore ausus sit vi-
deri sub tecto. Adeò autem ferox erat in suos
illis temporibus miles & rapax, ut per ambi-
tionem otiumq; opibus partis auri & lapillo-
rum varietates discerneret scientissimè cõtra
quàm recens memoria tradidit. Notum est
enim sub Maximiano Cæsare, vallo Regis Per-
sarum direpto, gregarium quemdam sacculũ
Parthicum, in quo erant Margaritæ, repertũ,
projectis imperitia gemis, abisse pellis nito-
re solo contentum. Cujus historiæ occasione
non possum non hoc loco commemorare, quæ
de Helvetiorum simplicitate narrat pruden-
tissi. scriptor Philippus Cominæus: *Profligato,* lib. 7.
inquit, *ad Grãsonium Carolo Burgundo Helvetii*
*præ-*

*prædam ingentem fecerant, verùm quantas eſſent conſequuti opes ignorabant. Tabernaculum quoddam illius longè pulcherrimũ & exquiſitiſſ. partiti ſunt in multa fruſta. Patinas argenteas nonnulli, cum ſtanneas eſſe putarent, viliſſimo pretio vendebant. Adamantem ipſius toto Orbe celeberrimum, cui erant adpenſi aliquot uniones, quidam ubi reperiſſet, in pixidem repoſuit, mox ſub currum abiecit, paulo poſt reverſus ſuſtulit & Sacrificulo cuidam vendidit aureo nummo. Iſte inde à ſui oppidi magiſtratu cui miſerat, aureos adcepit duos. Ea fuit gentis rerum nõ neceſſariarum cura aut æſtimatio.* Sed ad propoſitum.

De Herode quoq;, uno ex 30 tyrannis Trebellius Pollio ſcribit: *homo erat omnium delicatiſſ. & prorſus Orientalis ac Græca luxuria. Nã erant ei ſigillata tentoria, & aurati papiliones, & omnia prorſus Perſica.* De Perſarum vero luxuria multis locis Athenæus. Zoſymus lib. 3. de expedit: contra Perſas Imperatore Juliano, qui eos vicit, *Adquiſivere*, inquit, *Romani eâ victoriâ magnam auri argentiq; vim, argenteos lectos & menſas complures.* Hæc verò luxuria verè mater eſt corruptæ diſciplinæ, ſicut luxuriæ mater copia. *Devictis* enim hoſtibus, Romani opulentiores facti, ad luxuriam prolapſi ſunt, indè in præceps omnia ruere. Vide Livium lib 1. Reperio & alias cauſſas corruptelæ diſciplinæ militaris, & numero quidem præci-

præcipuas tres, indulgentiam Imperatorum, otium, & defectum commeatuum. Quod adtinet primam caussam; indulgentia ea in duobus consistit; Vel enim nimium indulgetur militibus, nec in peccantes animadvertitur, qua ratione vilescit Imperatoris auctoritas, & crescit ferocia militaris; Vel munerib⁹ Imperator militum animos conrumpit. Eleganter in hanc rem A. Hirtius, Cassius Longinus offensionem Hispaniæ compensare exercitus amore cupiebat, Itaq; cum primum in unum locum exercitum conduxit, HS. cẽtenos militibus est polliticus. Nec multò post, cum in Lusitaniæ Medobregã oppidum montemq; Herminium, quò Medobregenses confugerant, expugnasset, ibiq; Imperator adpellatus esset, iterum HS. centenis milites donavit. Multa præterea & magna præmia singulis cõcedebant, quæ speciosum reddebant præsentem exercitus amorem, paulatim tamẽ & occultè militarem disciplinam severitatemque minuebant. Sed hujus munificentiæ initium non à Longino; nam si Suetoniũ audias, Claudius id Cæsar fecit. Ita enim ille: Armatos pro concione jurare in nomen suum passus est, promisitq; singulis quinadena HS (Josephus vicena millia scribit) primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus. Otium militum quantum noceat, præter Vegetium

*de bello Alexandrino cap. 48.*

*Sueton in Claudio cap. 10.*

ple-

pleriq;omnes docuere Historici, quorum sententias in unum corpus congessit Amicus noster magnus, literis instaurandis natus, Janus Gruterus, ad locum illum Taciti libro de moribus Germanorum: *Otiosa porrò armatorum manus facilè lasciviunt*. Commeatus deniq; inopia militem tumultuari facit, quam in rem infiniti apud Marcellinum loci, & alibi fortè eâ de re loquemur. Hodiè maximè tumultuari solet miles, & jugum Imperatorũ excutere, si stipendia (milite enim stipendiario maximè utimur) justo tempore non numerentur, Cujus rei exempla nimis proh dolor, sunt obvia.

*Parte 2. discursu ad Tacit. pag 177: & seqq.*

---

## CAPUT IV.

### *Leporem animal infaustum esse & inauspicati ominis.*

*decuria 7. probl. 9.*

HAbet inter problemata sua Ocellus Frãciæ nostræ Joachimus Camerarius Papebergensis problema elegans conceptum hoc modo: Quare Teutones in ominib' itinerum lupum transeuntem bonum eventum significare, leporem malum perhibent? Respondet: an hoc est de joco natum? Nam Majores nostri, ut Viri fortes, sic faceti quoq; fuere. Quis verò nõ mallet lupum transcurrere, quàm adoriri

doriri se, leporem autem consistere & capi melius esset, ut obsonium suppeteret? Postea superstitio accessit, & de joco fortuito observatio est nata Divinationis. Pierius autem Valerianus recitat quoq; versum veterem Senariũ, qui antiquitatẽ hujus opinionis docet,

Φανεὶς ὁ λαγὼς δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους,

Id est; *inauspicatum dat iter oblatus lepus.*

Verè autẽ hoc Veteres censuisse exemplis aliquot perspicuum faciam. Cum Romã obsideret Arnolphus Imperator, qui Berẽgario auxilium ferebat, excitus è latebris clamore tumultuq; militum lepus Urbem versus cursũ adripuit. Hunc milites toto temerè agmine concito insequi cum cœpissẽt cursuq;& clamoribus acrius deterrerent, Romani, qui pro propugnaculis stabant, Urbem eo impetu peti veriti, cui se longè impares ꝓpter defendẽtium inopiam arbitrabantut, pari consensu desertis mœnibus, ad terram se submisere, Milites occasione freti sellis equorum & veterinorũ ad mœnia in cumulum aggestis, per eas nullo reluctante in mœnia evasere, Leoninamq; Urbem (primaria nunc est hæc Urbis regio) nullo negocio ceperunt. *Sigebertus Gemblacensis in Chronico.*

Simile huic Exemplum narrat Krancius: Cum, inquit, Holsatiæ Comites Henricus in Stormaria & Johannes in VVagria præsidentes antiquam de terra Ditmarsiæ quęstionem *lib 8. c. 33. Saxoniæ.*

renovarent, Ditmarsi ad Episcopum Bremēsem confugêre, auxilium contra comites petentes, qui precibus eorum locum dans militem conscribsit, contra eum vicissim Comites eduxere suas copias. Terram hostilem ingressi, qui in primo incedebant agmine, leporem videre per viam transverso itinere currentem, sublatoq; venatico clamore bestiolam exagitarunt, qui in postremo erant agmine, ab hostium incursu clamorem excitatum interpretati, fugam primi inierunt, jamq; hostes erant in conspectu, turbatumq; invadebant cuneum. Mixtus inde timor pudorq; pungavere, & à postremis orta fuga pervenit ad medios, donec plurimis cæsis & captis totum agmen, levissima de causa orto initio, pedibus, & fuga salutem quæreret.

Tristius est, quod recentiores Historiæ suppeditant Exemplum: Anno salutis partæ MCCCCLXIII. Servus quidã, cui Vlrico nomen, Eberhardi Comitis VVirtembergici an der Aurr habitantis, ipso die passionis Christi, quem Charitatis diem appellamus, venatum exivit cum puero Nobili Rumpoldo à Gultlingen, cepitq; leporem, quem conjectum in saccum humeris domum referre cogitabat. Cumq; Meinshemium tenderēt, sylvas egressi, vox ex iisdem audita est dicentis: Beitet/ Beitet/ ich muß auch mit dir; Wo bistu? h. e. *Sub-*

*Subsistite, subsistite, nam & mihi vobiscum eundũ, ubi lates?* Mox lepus in sacco respondit: Ich bin hie in Ulrichs Sack: *Hic inclusus sacco Vlrici lateo.* Servus exterritus saccum rejecit & aperuit, sed nihil in sacco reperit. Meinshemiũ ubi venêre, servus gesta narravit, post narratiõẽ ægrotare cepit & tertio die mortẽ obiit. Puer nobilis post gravem morbum revaluit tamen. Hęc narrat Crusius ex Mss. Chronicis & confirmatione Nobilis viri Gotefridi à Rãming Añal. Suevic. p.3. lib.7. c.14. p.412.

Concludam hoc caput argutissimo respõso, ꝙ dedit fortissimus Imperator Archidamus militibus suis, qui cum Corinthum obsedisset, & lepus è cõfinio murorũ se proripuisset, fugãq; captasset, consternato omine fugacis animalis exercitu, animosè eis dixit: *Parata en nobis, Commilitones, victoria: Inertes, enim hostes nostros esse oportet, qui leporem tàm vicinum capere noluere.* *alii Lysandro tribuunt.*

---

## CAPUT V.

### *Mores quidam veterum coniectandi victoriam notati.*

INter signa providẽtiæ divinæ ac bonitatis nõ est exiguum id, quod rerum futurarum eventus indiciis quibusdam omnibus temporibus veluti testari voluit. Nam ut Forti

aut casui ea adscribam, quæ adsidere, religione prohibeor, maximè autem ista indicia bellis sese prodidere & à qua parte victoria expectanda foret, evidentibus signis docuere, ut ex his patebit. Scribit Dio:
lib. 47. *Cum Lepidus & Antonius obpressum irent C. Cæsarem Octavianum, adeoq; Castra castris penè junxissent, pactionem tamen cum Octavio fingerent, adcidisse inter ipsam pactionem Cæsari, ut aquila ejus tabernaculo insideret. Ad quam mox duo advolarunt Corvi, qui alas aquilæ evellere conati ab eâdem mox occisi sunt, addicente ea ratione aquila Cæsari victoriam, contra utrumq; Collegam Triumviratus, quorum clades utriusq; corvi cæde notata fuit.* Idem Cassius de ijsdem, Cæsarem dico & Antonium, & Brutũ ac Cassium hostes dictorum in pugna ad Vrbem Philippos scribit:
lib. 47. *Multi vultures aliaq; aves, quæ cadaveribus pascuntur super solos ipsos* (Brutum & Cassium) *volavere, in eos despexere, terribilemque clangorem ac stridorem edidere, quod maxime perniciem eis notavit.*

Eodem in prælio memorabile est, quod scribit Xiphilinus de duabus aquilis inter se pugnantibus. Cum enim Brutus jam Cassio interfecto, solus congredi cum hoste vellet, eductis in aciem exercitibus, ordinibusq; jam utrimq; instructis, ecce aquilæ duæ inter utrumq; exercitum divisæ, ipsæ quoq; congres-

gressæ sunt, ac prælij illius, quis finis futurus esset, ostenderunt. Quemadmodum enim aquila, quæ à parte Bruti pugnaverat, victa fuit, ita Legiones ejus, cum diu admodum ancipiti eventu pugnassent, tandem superatæ sunt multisq; occisis equitatus etiam fortiter pugnans tandem concessit.

Idem fatum Antonio denunciatum fuit mirabili indicio. Cum enim tandem de summa rerum duo decertare cogitarent, Lepido deleto, Cæsar Octavianus & M. Antonius, ruina Antonio multis prodigiis & ostentis denunciata fuit, quæ diligenter enumerat libro 50. Dio. Prælij verò eventus indicio tali: Pueri Romæ nullius jussu, sed proprio motu in duas partes divisi Cæsarianorum altera, altera Antonianorum nomine biduum conflixere. Tandem Antoniani à Cæsarianis superati succubuere. Cui simile prorsus Exemplum recitat Procopius belli Gothici lib. 1. Cum, inquit, Vitiges Rex Gothorũ Romam obsideret, eamq; fortiter defenderet Bellisarius, accidit in Samnio factum memorabile. Pueri enim, qui pecus pastum egerant, duos è numero suo specie & forma cæteris præstantiores, qui inter se colluctentur, delegerant, uni Bellisarii, alteri Vitigis nomine imposito. His colluctantibus, qui Vitigis nomẽ sumpserat, humi adfligitur, quem statim reliqua

puerorum turba multis cum convitiis & sannis de proxima arbore suspendunt. Lupus autem fortè eà aberrans, solum relictum (pueri enim lupo viso exterriti omnes diffugerant) miserè laceravit: Samnites, re cognita pueros quidem missos fecerunt, sed ex hoc casu non dubitarunt affirmare Bellisarium victorem fore.

Memorabile etiam illud est, quod Aquilegiæ expugnandæ signum Attilæ divina misit benignitas, quam Urbem, ut scribit Nicolaus Olatus in vita ejus, cum triennio frustra obpugnasset, anxius aliquando & curarum plenus, & penè jam deserendæ civitatis certus, Urbis mœnia circumequitat atque animadvertit Ciconiam, in summo cujusdam turris culmine nidum habentem, pullos ex eodem implumes, unum post alium in arundinetum Urbi vicinum rostro deferre. Cujus rei spectaculo cum Attila diutius cogitabundus constitisset, tandem læto vultu ad suos dixisse fertur, Avem ruinæ civitatis jam jam imminentis presciam pullis suis securitatem præparare, sibi victoriam & Vrbis dominium denunciare. Id quod eventus deinceps conprobavit.

*cap. 14.*

Mustelam etiam victoriæ nunciam, scribit Bonfinius. Nam cum Ladislaus Vngariæ Rex pugnare adversus Salomonem jam jam vellet,

*Rer Vngaricaru decad. 2 lib. 3.*

let, atq; equum adprehensa lancea iam conscendisset, & in gyrum vertisset, ut & oratione & Exemplo militum animos confirmaret, & ad pugnam contra fratrem delatoribus pravisq; consultoribus obnoxium animaret, veprem forte inter flectendum hasta tetigit, cui mustela candidissima statim insedit, & per hastam, velut imminentis victoriæ nuncia, in gremium ejus delapsa, suavissimè veluti requievit.

Neq; canes hic prætermittam, de quibus hoc adcepimus. Cum ad Valentiam in Belgio exercitus Francisci Galli, Caroli V: exercitui oppositus esset ad passus circiter quingentos, accidit, ut canes Castrenses sæpius extra castra procurrerent, tandem autem infestis dentibus concurrerent. In ea pugna Canes Cæsariani Gallicanos in fugam conjecere, qua victoria Cæsarianus exercitus eventum conjecit, animique eidem mirificè crevere.

Addam hic unum, quod multis risum, sapientibus bilem movebit. Ego certè non sine indignatione legi. Scribit Bonfinius, cum Matthias Ungariæ Rex à Georgio Podebracio socero, Bohemiæ Rege, animis dissideret, jamq; res ad arma venisset, tandemq; procerum interventu ad colloquium Principes convenissent, & Matthias orthodoxæ fidei Zelum bello contra socerum, qui Hussitica-

*Rerum Vngaric. decad. 4. lib. 2.*

ticarum partium erat, more Principum prætexeret, Georgius autem contra niteretur, regnumq; peti diceret ſuum, cum convivium aliquando uterque Rex ageret, aderant duo Hiſtriones Regii, qui Principum ſeria jocis ſolverent, Bohemici Regis alter, alter Ungarici. Aderat etiam inter cæteros Satrapas Isdengo Bohemici Regni gubernator, Orthodoxæ fidei obſervator & Matthiæ ſtudioſiſſimus, qui ad Principem utrumque converſus, In Hiſtrionibus, inquit, his, veræ fidei periculum eſſe faciendum, in paleſtræ certamen utrumque eſſe committendum, victoris fidem præſtantiorem eſſe habendã. Approbatur gubernatoris utrimq; ſententia, & ſuum hiſtrionẽ ad ſingulare certamẽ voce plauſuq; hortantur. Ungarus ſtaturâ minor, Bohemus longè procerior, vires utriusq; dubiæ & par animus. Bohemum tamen inſano corpore victurum eſſe omnes augurantur.

Certamen initur, in Regis utriusque conſpectu, uterq; ſuæ gentis hortatu ad victoriã provocatur. Legatus Pontificis aderat, qui rem divinam hiſtrionum fortunæ commiſſam ægrè ferebat. E jocis in ſeria revocantur omnes, veluti de corporis animæq; ſalute ac dignitate per hiſtriones ageretur. Forti uterque animo congreſſus mãibus ac pedibus obnitur, vi & arte juxta uterq; colluctatur,

ſpe

ſpe dubia res agitur. Nunc Bohemus Ungarum corripit ac torquet, nunc Ungarus Bohemum: nunc pedibus manibusq; ambo micant, cum ſuo utrinque vocibus faverent, ingens hinc & hinc clamor editur, Ungarus tandem veluti Sacroſãctę fidei numine communitus inſanã Bohemi molem in aëra ſuſtulit, humũ continuò inverſurus, Bohemus quidam, qui propius aderat interceſſit, & ne ſuus humi proſterneretur, dextram objecit. Isdem go pugnę arbiter extemplò iniq; intercedenti alapam incuſſit; obortus confeſtim hinc clamor & tumultus, arma utrinque rapta, Principum tandem nutu omnia ſedata conquievere.

## CAPUT VI.

### *Multum commendare bonum ducem, ſi non ſit* ῥιψοκίνδυνος.

QUemadmodum milites commendat Amor in Ducem & obedientia: Ita viciſſim ducem maximè extollit & omnibus venerabilem præſtat fides erga milites & conſervandi, quantum poteſt, exercitus ſtudium. Unde optimi quiq; & nobiliſſimi Imperatores apud Romanos, ne Græcos nunc huc advocem, unicè hoc curæ habuere. Rationes hujus ſtudii oſtendêre tres ſummi viri, quo-

*Lib. 7. de bello Gallico.* rum orationes primò adferam; atq; C. quidē Julius Cæsar merito suo familiam hîc ducat, qui ut, ipse de se scribit: Indignantes suos milites, quod Vercingetorix ejusque exercitus conspectum suum ferre possent, tantulo spatio interjecto adeoque signum prælii exposcentes, his verbis compellat: *Scire se & multis retrò experimentis edoctum esse, quāto detrimēto & quot Virorum fortium morte necesse esset sibi victoriam istam constare, quos cum sic animo paratos videret, ut nullum pro sua laude periculum recusârent, summæ se iniquitatis condemnari debere, nisi eorū vitam suâ salute chariorem habeat. Adquiescerent igitur jam & in castra referrent.*

*Lib. 14.* Alter est apud Ammianum Marcellinum: Constantius Imperator, quem non quidem commendat alias Historicus, felicem solum in bellis Civilibus esse ait, quisquis tamen fuerit, satis pro sano & imperatore, quanquam pacem tùm adceptandam suaderet, in hæc verba milites compellat: *Pro suo,* inquit, *loco & animo quisq; reputans id, quod verum est, invenit, quod miles ubiq; licet membris vigentibus firmus, se solum vitamq; propriam circumspicit & defendit; Imperator vero æquus omnibus alienæ custos salutis nihil non ad sui spectare tutelam cogitare debet. Ideoq; remedia cuncta, quæ status negotiorum admittit, adripere debet alacriter secunda numinis voluntate delata.*

Ordi-

Ordinem claudat Mahometes Turcarũ princeps, Imperator nulli veterum virtute secundus, qui cum crebrò militum castra & tentoria pedes obambularet, & ob eam caussam moneretur à Consiliariis, ne contra morem Majorum nimis apertè se periculis objiceret, à cujus salute tanquam filo penderet totius Ottomanici Imperii gloria, in hæc à Cyro apud Xenophontem mutuata verba respondisse fertur; Cum omnes, qui meum sequuntur imperium, mihi fratrum loco sint habendi, de ipsis quoq; non minus ac de me ipso sollicitum me esse convenit. Idem hoc in mentem venit apud Tacitũ Ottoni Imperatori, cujus verba mortem paulò ante antecedẽtia hæc recitat scriptor eruditus: *Diutius Imperiũ alii tenuerint, nemo me fortius reliquerit, an ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus sterni rursus & Resp. eripi patiar? Eat hic mecum animus tanquam perituri pro me fueritis, sed este superstites, nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos meam constantiam. Hunc enim animũ, hanc virtutem vestram ultrò periculis objicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto.*

Aliam hujus rei rationem, & si quid ago video, valentiorem Alexander Severus adfert, apud Ælium Lampridium. *Milites,* inquit, *ego magis servare volo, quàm me ipsum, quoniam in militibus salus publica consistit.* Idem ani-

animadvertit & eleganti apophthegmate cõprobavit Scipio, & à Scipione post accepit M. Antoninus Pius, *malle se unum servare civem*, dicens, *quã mille hostes perdere*. Quò pertinet & Heroica Cæsaris vox clamantis in acie, *parce civi miles*. Neque ab ingenio Cæsaris abiit Augustus, qui jactantis esse animi dicebat & ardore triumphandi levissimi ob lauream, hoc est, *infructuosa folia, in discrimen, per incertos certaminum eventus, securitatem fidelium civium præcipitare*.

De Tiberio Velleius Paterculus inquit, *Tiberius victor peragravit omnes Germaniæ partes sine ullo detrimento commissi exercitus, quod præcipuè huic duci semper curæ fuit*. Tacitus quoque 2. Annal. de Germanico, *Cæsar dare in discrimen legiones haud Imperatorium ratus*, quæ verba demittant velim in aures atque animos feroculi nostri Duces, quibus ludus & iocus est, inter pocula nullo ordine, nullo consilio in hostem proruere & militem temerariæ lanienæ velut in foro addicere. A Cæsare discant, qui in summis difficultatibus, quantũ diligentiâ provideri poterat, providebat, ut potius in nocendo hosti aliquid omitteretur, etsi omnium animi ad ulciscẽdum ardebant, quam cum aliquo detrimento militum noceretur: qui cum in eam spem venisset, se sine pugnâ & sine vulnere suorum rem contra Afra-

*lib. 6. de Bello Gall. c. 34.*

*lib. 1. de Bello Civili. c. 72.*

Afranium & Petronium conficere posse, quod re frumentariâ adversarios interclusisset, noluit etiam secundo prælio aliquos ex suis amittere, aut pati vulnerari de se optimè meritos milites. Qui numquam se abuti sanguine militum suorum volentem scientem professus est, qui deniq; auditâ clade Tituriana capillum barbamque submisit, nec ante demsit, quam vindicaret. Noverat videlicet Cæsar Senecæ illud, Imperatorium esse, alieno sanguini tanquam suo parcere, & scire quemvis debere homini non esse homine prodigè utẽdum: Velleii etiam illud Paterculi: Imperatori nunquam adeo ullam oportunam videri debere victoriæ occasionem, quam damno amissi pensaret militis. Hinc illæ Ducum laudes passim apud Historicos. *Victoriâ intacto[a] milite parta, exercitu[b] incruento, exercitu[c] incolũi: sine sanguine[d] quæsita, sine vulnere[e] & cæde suorum, sine[f] sanguine.* Constantius ideo laudatur ab Ammiano[g] Marcellino, quod cum maximum sit in Obsidionibus periculũ, custodierit diligenter militem, timueritq; eum periculis objectare circummuranis. Concludam caput mentione Germani Ducis, sed qui Romanarum virtutum æmulus fuit. Insignis Georgius is est Freundsbergius Mindelhemii Baro, fortissimâ & Nobilissima Suevorum veterum prosapiâ oriundus. Is cũ omnem ætatem

*lib. 3. de Bello Civ.*

*Sueton. c. 67.*

*lib. 2. hist.*

a *Ammia. Marcel lib. 19.*
b *Sall. bello iugurth.*
c *Hirtius de bell. Alex.*
d *Tacit. 3. Histor.*
e. f. *Cæsar 2. de bell. Gall. 1 de Civ. Hirt de bell. Alex.*
g *lib. 21.*

tem in bellis masculè cõsumsisset, & nominis ipsius fama pluribus penè victoriis quã prælius illustris esset, ipse tamẽ omnibus suis preclare & heroicè factis, unum hoc antepo-suit, quod anno Sal. 1512. Exercitum suum ab hostibus circumventum ad Valentiam in Belgio salvum ex hostium oculis abduxerit. Et ætate nostrâ Fortissimum Heroem Ducẽ Mercuri, servatũ ex periculo in Ungariâ militem, omnibus suis reliquis Trophæis pretulisse, ex fide dignis adcepimus.

## CAPUT VII.

### *Quantum unus sæpe vir sapientiâ ac virtute præstans in rep. possit.*

ITa comparatum est in rebus humanis, ut vel inviti virtũtem excellẽtem admiremur, eamq; contra animi quandoq; decretum, tãquam fulgore excœcati veneremur, atque ad eam oculos animosq; demittamus. Cujus rei exempla non pauca suppetunt. De Euripide referunt Historici, dedisse eum aliquando Athenienfibus fabulam, quæ cum ageretur, visa est sententia quædam populo importuna atq; intolerabilis. Itaq; magno clamore excitato, urgebat induci illam sententiã: tumultuante autem diutius populo, Ecce subitò Euripides in Scenam progreditur & *quid*, inquit,

quit, *hoc negociu est, non ut ego docear, Tragœdias do, sed ut doceâm*, quibus verbis subitò populi furor omnis consedit, & placidè ac quietè, quod reliquum erat, spectavit, nec quisquam deinceps ausus mussitare fuit.

Par fuit authoritas Scipionis Nasicæ, quū *viri boni* cognomentum à Republ. Romana præmium tulit, quidam *optimum* dictum volunt. Hic enim tumultuante, propter annonæ charitatem immodicam, populo Romano, progressus in medium exclamavit, *Tacete quæso, Quirites. Nam ego plus quam vos, quid reip: expediat, intelligo.* Cujus auctoritatem omnes veriti silentio tacito quievêre. Verè igitur Virgilius latinæ mūdiciæ Venus. 1. Aeneid.

*Ac velut in magno populo cum sæpè coorta est*
*Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus,*
*Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:*
*Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem*
*Conspexere, silent arrectisq; auribus astant:*
*Ille regit dictis animos & pectora mulcet.*

Verùm hæc fortasse levicula sunt; Itaq; magis sēria adtingamus.

Epaminondas Thebanus cum Collega Pelopida, viro forti ac strēuo, adversus Lacedęmonios in Peloponesum cum exercitu progressus, invidia domi flagrante, Prætorio munere cum Collega jubetur abire, missique eis

Plebiſcito ſucceſſores. Is Plebiſcito parere recuſat, & ad idem faciendum Pelopidam & tertium quemdam Collegam inducit, adeoq; bellum, quod ſuſceperat, gerere pergit, victoremque exercitum, quem ſucceſſorum miſſorum imperitia periturum animadvertebat, domum reduxit. Erat autem lex Thebis, quæ mortem denunciabat ei, qui contempto plebiſcito, imperium diutius tenuiſſet. Reduces igitur Collegæ accuſati ſtatim de hoc crimine ſunt, qui moniti ab Epaminonda, omnem in ipſum culpam rejecerunt, ejus operâ factum dicentes, quo minus legi obedivissent. Vocatur Epaminondas in iudicium, vocatus comparet, neq; quidquam eorum negat, quæ vel adverſarii crimini dederant, vel collegę in ipſum rejecerant, monitus de Legis pœna, neque eam recuſat, unum tantùm petit, ut in periculo ſuo inſcriberent: *Epaminondas à Thebanis morte mulctatus eſt, quod eos coegit apud Leuctra ſuperare Lacedæmonios, quos, ante ſe Imperatorem, nemo Bœotiorum auſus fuit aſpicere. In acie quoq; uno prælio non ſolum Thebas ab interitu retraxit, ſed etiam univerſam Græciam in libertatem vindicavit, eoq; res utrorumq perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedæmonii, ſatis haberent, ſi ſalvi eſſe poſſent. Neq; prius bellare deſtitit, quàm, Meſſena conſtituta, Vrbem eorum obſidione clauſit.*

Hæc.

Hæc cum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est; neque quisquam Judex ausus est ferre suffragium, sic à Judicio capitis maximâ gloriâ discessit. Historiam ita concludit vitæ scriptor: Hujus de virtutibus vitaq; satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat infitias, Thebas & ante Epaminondam natum, & post ejusdem interitum, perpetuo alieno paruisse Imperio: Cum eo, quamdiu ille præfuit reip: caput fuisse totius Græciæ. *Ex quo intelligi potest, unum hominem pluris quàm civitatem fuisse.*

*Aemilius Probus seu Cornel. Nepos.*

Epaminondæ adsociabo Bellisarium Justiniani Imperatoris Ducem fortissimum, cujus laudes copiosè & eleganter edisserit Procopius. Hic bello graviore vel in occidente vel in Oriente aut orto aut renovato, unus advocari, mitti ac remitti solitus est, eoq; mortuo, post totum Imperium penè collapsum fuit. Idem Procopius de Chilbudio scribit, eum, cum à Justiniâno Imperatore Illyrici præfectus constitutus esset, ut ab Istri transitu Barbaros prohiberet, adeo formidabilem iis fuisse, ut nemo, eo Illyrici præfecto & superstite, ausus fuerit Istrum tentare; eo autem mortuo, inquit, omnes non modo Istrum liberum transire, sed etiam omne Illyricũ & partem Thraciæ ac Macedoniæ infestare atq; occupare cœperunt, & subjungit;

*lib.3.Gotthic*

*lib.3. Gotth.*

git: Σύμπασά τε ἡ Ῥωμαίων ἀρχὴ ἀνδρὸς ἑνὸς ἀρε-τῇ ἀντίρροπος γενέσθαι ἐν τῷ ἔργῳ τούτῳ οὐδαμῆ ἴσχυσε. Unde, inquit, perspicuum esse cuivis potest, unius Chilbudii virtutem totius Reip. Romanæ vires æquare non potuisse, qui locus geminus est superiori de Epaminondâ. Nihil igitur miror, cum Salustium audio dicentem: Sed mihi multa legenti, multa audienti, quæ populus Romanus domi militiæque, mari atque terra præclara facinora fecit, forte libuit attendere, quæ res maximè tanta negotia sustinuisset? plurima tamdem cogitanti constabat: *Paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoq; factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret:* Quo loco nostro instituto Catonem & Cæsarem adnumerat.

*Catilin. c. 53.*

## CAPUT IIX.

### *Temeritatem & Hostis contemtum maximè Duci fugiendum esse.*

ENnius Poeta Romanus inter Principes sui Ordinis Romanos suos uti studiosè dilaudat, ita hoc quoq; Elogium ipsis tribuit memorabile.

*At Romanus homo, tamen etsi res benè gesta est,*
*Corde suo trepidat:*

Quibus verbis securitatem eis adimit, ut omni-

omnia honesta tribuat: Nihil enim magis
Duci providendum, quàm uti securus ne sit,
sed cum Arminio sentiat apud Velleium: *ne-*
*minem celerius opprimi posse, quā qui nihil timeat,*
*& frequentissimum initium calamitatis esse; secu-*
*ritatem.* Curæ hoc fuit Metello apud Sallu- *Iugurth.*
stium, qui cum de eo fama præclara esset, tan- *c. 55.*
tò intentior ad victoriam nitebatur, omni-
busq; modis festinabat, cavebat tamen, ne-
cubi hosti opportunus fieret, memor *post glo-* *in ejus vita*
*riam invidiam sequi*, ita quo clarior eo magis *c. 5.*
anxius erat: Julio item Agricolæ apud Tacitū,
quem scribit simul anxium & intentū omnia
in bello egisse. Hanc cautelam non observa-
vit Vir Nobilis Didacus de Haro Alfonso IIX
Regi Hispaniarum charus, strenuus quidem
atq; corporis animiq; viribus pollens, arrogās
tamen nimium atq; omnium cōtemtor. Hic
in eâ pugnâ, quā infeliciter Alfonsus cum Mi-
ramomelino Rege Maurorum prope Alarcos
cōgressus est, quatuor de se arrogantissimè ja-
ctavit: *Primū* erat, nullo in periculo se Regē suū
deserturum: *Secūdū*, nulla necessitate se castra
Domini sui hostib. traditurū: *Tertiū*, omnes
se obsides suos redēpturū: *Quartū*, si semel cal-
caribus equū in Saracenos admitteret, nūquā
se respecturum retrò. At iusta Dei irâ eodem
die in omnia quatuor impegit, sive metu, sive
infelicitate, sive necessitate. Victo.n. Christia-

 no-

norum exercitu, fugientibus aliis ipſe quoque profugit in caſtrum Alarcos, ubi cum victualia deeſſe animadverteret, exiens iterum de caſtro, impetum in Arabes fecit, ut evadere commodè poſſet: In eo deſertus à ſuis, retrò reſpiciens ſeq; deſertum videns, pudibundus in arcem rediit. Eâ â Miramomelino obſeſſa, duodecim milites obſides dedit, ipſeq; ſequenti die traditâ hoſti arce, infeliciſſimus evaſit. Quàm Hiſtoriam Rodericus Santius ita concludit: Hujus votis idem dici poterat, quod Damaſippi dixit olim Cicero apud Macrobium: pollicebatur is aprum ſolus interficere: Cui Cicero: *Verbisne an venabulo eum interficere promiſiſti?* quin & hodiè multis *Mars ventosâ ſedet in lingua*, ut loqui amat Virgilius.

*p.3. Hiſt. Hiſp. c. 34. p. 360.*

Huic Didaco non abſimilis fuit Bartholomeus Livianus Venetorum Dux: qui, exercitu Maximiliani I. Imperatoris, Ducibus Rudolpho Anhaltino & Georgio Freundſbergio circumſeſſo in anguſtiſſimis ad Vicentiā montibus, ꝑ contumeliā ad Freundſbergium miſit, monitum, uti nudis ſuis Germanis pacem potius ſupplex petere, quam bello congredi mallet, ſe enim candidis bacillis donatos paratum in Germaniam remittere. Non tulit impatiens injuriæ aut contumeliæ Freundsbergi animus, ſed reſpondit:

Expe-

Experiretur Livianus modo nudos ſuos milites, quos ille poculo vini prius donatos, meliores fore ſciret armatis Liviani cohortibus; ad exemplum credo Cæſaris alludens, qui etiam unctos ſive unguentatos ſuos milites bẽe pugnare dicebat. Quo maſculo Freundsbergi reſponſo, nihilo cautior Livianus factus, miſit præterea in urbem, exirent Patres & cives, qua viri qua fœminæ, voluptatemq; caperent ex hoſtium Germanorum laniená & exitio. Sed in contrarium ambitioſas ſpes iſtas Deus ipſi vertit, & ſanguinaria illa cõſilia ipſi per jugulum redire fecit. Nam & Venetus exercitus fuſus â Germanis & diſſipatus eſt, & ſpectatorum evocatorum complures in fugâ aquis hauſti atq; abſorbti fuere.

Eadem temeritas atque idem fatum fuit procerum Leopoldi Auſtriaci ad Sempacum Anno ſalutis 1386. qui, cum Hoſtes Helvetios extremè contemnerent, & Leopoldo ambigenti auctores eſſẽt, iret in ruſticos, nec inſequens agmen opperiretur: ſe enim inermibus illis agricolis mactandis nimis quam ſufficere: moniti fuere à Barone quodam Haſenburgio, parcius loquerentur, duros laboribus agricolas eſſe & exercitos, & omnia conſilio, exſpectato reliquo exercitu, gererentur. Huic Ochſenſtenius quidam Dynaſta ſarcaſticè admodum reſpondit: *O Haſenbur-*

*Stumpſius lib. 7 c. 35. Lazius 2, lib. Gen. Auſtr.*

*burgi* du Hasenherz, leporino pectore homo; aut ut ille suos appellabat, *galeate lepus*, jamne animus tibi ad pedes accidit? nihil tua nobis ad inermes istos trucidandos opus est operâ: nos rem conficiemus, & ad Leopoldum conversus: *Tuum nunc est, Domine statuere, assosne tibi an elixos hos rusticos hodie in mensa statuamus*, & cum dicto equo degressus, insequentibus exemplum reliquis, in hostem fertur, erroris que cito edoctus, cum Principe & duobus millibus ê primaria Nobilitate concisus ab hostibus, temeritatis & arrogantiæ suæ pœnas dedit. *alias Bicocha* Pugnanti etiam ad Bricocham Freundsbergio accidit, ut occurreret Albertus Stenius (vitæ Freundsbergianæ scriptor ejus Legato tribuit Arnoldo VVinkelriedio) cum Helvetiis suis Georgio, & his cum verbis compellaret: *Alten Spieß Gsell* Hicne te vetus commilito aut cõtubernalis reperio? benè res habet, manu enim meâ morieris: Cui Freundsbergius, Vita, inquit, mea, Steni, in manu Dei est, neq; ego dum mori cogito; vide autem atq; etiam cave, ne quod temerè minitaus es mihi, accidat tibi, congressiq; postea sunt Quamquam autem Freundsbergius graviter in crure vulneratus esset, pristinæ tamen suæ virtutis & gloriæ memor cõstitit, donec & Stenius & Legatus ipsius VVinck lriedus manu suâ caderent, & arrogantem dicacitatẽ morte exitioq; lue-

fluerent. Adeo videlicet (lubet enim eleganti Hegesippi dicto concludere) *incauta est nimia præsumtio, & sui negligens*, timor autē prospicere futuris admonet, & diligētiam docet.

## CAPUT IX.

### *Virtus sublimis & eximia quibus odio sit.*

ELeganter Livius: *Invidia ut fulmen alta petit.* Id verissimum est de virtute quoq; excellenti, suspectam habemus quâmodū â reveremur & extollimus. Cæterùm, quia nobis hoc loco non de otiosa virtute sermo, sed de ea quæ lucem quærit & publico se ostendit, operæ pretium est inquirere, cui maximè virtus insolita unius hominis suspecta esse soleat. Primum autem ferre eam non possunt Respp. sive Aristocraticæ sive Democraticę. Nam statui suo metuunt, ne, ut vulgi ingenium mobile est & rerum novarum cupidum, uni adhærens summam rerum ad eum deferat. Quod delatum Lycurgo Imperium fuerit à suis Spartanis, Soloni ab Atheniensibus, Minoi à Cretensibus, veterū monumenta loquuntur. Inde natus est apud Græcos *Ostracismus*, quo viri rarioris virtutis urbe jubebantur excedere, tanquam nimii reipublicæ: Cujus Ostracismi, vetustissimum

exemplum habemus in Expeditione Argonautica, ubi Hercules ab Argonautis deſertus ideò ſcribitur, quia virtus ejus major videretur, quàm ut ſocium eum Argonautæ habere poſſent, ut teſtis eſt Philoſophus tertio Pol. & ſcholiaſtes Theocriti. Sequuti poſtea ſunt omnes Græci, atque Epheſii quidem Hermodorum virum Maximum cum hoc elogio urbe ſua ejecerunt, *Nemo de nobis unus excellat, ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit.* Eadem cauſa pulſus Athenis Ariſtides & alii innumeri. Apud Romanos idem metus magnorum virorum, ſed alia occurrendi periculis ratio. Illud manifeſtum eſt ex Catuli de Pompejo verbis, dicẽtis, Eſſe quidem præclarum virum Pompeium, ſed nimium jam liberæ reip. neq; omnia in uno reponenda. Quantus etiam in rep. metus à Cæſare fuerit, docuit vox ſummi in rep. viri, diſcinctum adoleſcentem nihil humile animo verſare. Itaque utebantur Romani remedio quodam molliori, circumcidentes ſuſpectorum civium vires, ademptisq; magiſtratibus, ad privatum ſtatum redigentes. Ariſtoteles non videtur idem ſemper circa hanc diſputationem eſſe. Alibi enim in Politicis Græcos reprehendit, quod paſſi ſæpè fuerint unum civem immodicè augeri, poſtea cùm formidoloſus ipſis fieri cæpiſſet, eundem crudelitèr

*cap 9.* *Idylio 13.*

*Velleius Paterculus lib. 2*

vita

vita aut patria exsulent. Quod & Cicero in senatu & seipso reprehendit, qa videlicet Cæsarem ipsimet contra se armassent, ipso decennium in Gallia inter exercitatas legiones cum Imperio relicto. Idem tamen Aristoteles alibi in eodem Opere probat consilium Græcorum, cum inquit: Ferri non posse in rep. talem virum, quia ei non magis possit imperari, quam ipsi Jovi. Quod ipsum etiam quinto Polit. attingit. Plato quoq; in 3. de rep. eundem Ostracismum probat, neque etiam apud cives suos nimium & sine exemplo virum diutius commorari patitur. Hodie eadé si Jovio credimus, Venetorum lex est; *Neminem temerè*, inquit, *ex optimatibus, qui vel insigni virtute vel spiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus crescere, vel collecta gratia potentem aut clarum fieri patiuntur.* Atq; hoc quidem ita animis insedit, ut optimis quoq; civibus probaretur. Apud Livium C. Sempronius ad Senatum: Non Senatui tanti se civem aut quemquam alium esse debere, ut in parēdo uni malum publicum fiat. Nec exempla desunt eorum, qui ultro invidiæ se subduxere & spontaneum exsilium tranquillitati patriæ conservandæ sibi delegerunt, quorum insigne unum de Johanne De la Bella recitat Machiavellus. Alterum genus hominum, quibus excellens virtus odio est, Tyranni sūt, sem-

*3. Pol. c. 9.*

*c. 7.*

*Iovius lib. 1. hist.*

*lib. 41.*

*lib. 2. Hist. Flor.*

semper ab optimis periculum sibi metuentes. Tales fuere Alexander in Antipatrum, Antiochus Magnus in Hannibalem, Dionysius Junior in Dionem, Tiberius in Germanicū & Sejanum, Claudius in Corbulonem, Nero in eundem, Constantius in Julianum, in Ursicinum & alios, Albertus Austriacus Bohemiæ & Ungariæ Rex in Udalricum Ciliæ comitem, Ferdinandus Hispaniæ Rex in Magnum Consalvum. Verè enim Salustius: *Regibus boni quàm mali, suspectiores sunt, semperq; illis aliena virtus formidolosa est*. Quin & eam, quam virtutem Principes in hoste colant & admirantur, ferre tamen in suis non possunt. Id quod prudenter in Alexandro Magno notavit Curtius; cum inquit: Non sanè quidquam Alexandri ingenium solidius aut constantius habuit, quàm admirationem veræ laudis ac gloriæ. Simplicius tamen famam æstimabat in hoste, quam in cive. Quippè à suis credebat magnitudinem suam destrui posse, camdem clariorem fore, quo majores fuissent, quos ipse vicisset. Atque hinc illud magnis Viris semper observatum, uti rebus à se præclarè gestis nihil ipsi efferrentur, sed omnia Principibus suis referiberent. Docet de Germanico Tacitus, qui Germanis devictis congeriem armorum struxit superbo cum titulo: *Debellatis inter Rhenum Albimq; nationibus,*

*De Catilina.*

*fine libri 8.*

*nibus, exercitum Tiberii Cæsaris ea monimenta Marti & Jovi & Augusto sacravisse. De se nihil addidit metu invidiæ, &c.* Philippum II. Hispanum nihil acrius in Ferdinando Albano pupugit, quàm quod superbam de se statuam Antverpiæ erexerat, levi regis mentione additâ. Plura his non addo, quia quæcunque in hanc rem dici potuerunt, complexus est omnia, cuj' ingenio nihil inaccessum, nihil abditum, Clariss. Gruterus amicus noster. Tertii Generis facio Reges, cætera bonos, sed ignavos Principes, & qui sibi ipsis diffidunt, sive, ut Livius nervosè admodum, *qui genus & fortunam suam animis non aquant.* Qualis erat olim Dionysius major qui ne filium quidem liberum ferre poterat, & avorum memoria Carolus IIX. Galliæ Rex, de quo prudentissimus scriptor: minus ægre tulisse cum filii mortem, quod ab ejus indole, quæ in puero jam elucebat, sibi metueret, ipse ingenii parum excitati. Adeo videlicet dulce est imperare, ut naturales quoq; affectus dominandi cupiditas pervertat, vimq; ipsis Dei decretis afferat! Quod tamen imperij mel perpetuis metus & formidinis felle conditum est, ut sapiens Diadema ne in viâ quidem positum tollat.

*Part. 2. discurs. in. Tacit. pag. 115. & seqq.*

*Comin. lib. 5. de Bello Neapolitano.*

CAPUT

## CAPUT X.

*Linguæ patriæ uſum ſanctè in rep. tuendum, & reprehenſæ ineptiæ Germanorum circa hanc rem.*

DIu jam vapulavit Germania noſtra, nec immeritò, ob turpem illam æmulandi habitus aliarum Gentium & nationum libidinem. Cui rei ne foris argumenta quærantur, vel pictoris illius etiam in vulgus notum dicterium, *nullo Germanum habitu certo uti, ſed nũc horum populorum, nunc illorum ſtulta æmulatione adſumere.* Verùm neſcio annon maius opprobrium noſtræ Gentis ſit ineptiſſima illa Linguæ noſtræ corruptio & in exoticas ſive transformatio, ſive cum iiſdem barbara atque auribus etiam ingrata confuſio. Quæ res facit, ut linguam ipſi noſtram non intelligamus amplius, atque in convitio hoc gentis noſtræ meritiſſimo ridiculos etiam triumphos aucupemur. Neronis principatu oſtentum ingens narratur factum, cum in agro Marrucino Vectii Marcelli univerſum olivetum viam publicam transgreſſum eſt & contra è veſtigio in locũ oliveti arva ſucceſſerũt. At magis ſtupendum intra hos paucos annos prodigium Germaniæ noſtræ oblatum eſt, in quam Italia, Gallia, & Hiſpania ſubitò immigra-

migravit. Et ferri quadantenus insania hæc posset, si finibus suis staret, eamq; insanirent ij solum, qui linguarum exterarum peregrinationib⁹ notitiam non vulgarem sibi compararunt. Quis autem eo sit animi robore, qui concoquat cerdones etiam & fungos, qui loci natalis mœnia nondum egressi in conviviis, foro, aut tonstrinis voculas quasdam aucupati, magno cum fermento & tumore vernaculæ inferciunt, corruptis alieno sono iis ipsis, ut duplici sic furore ludibrium humanioribus debeant, magis seriis & sapientioribus odio sint ac contemptui. Non sic animatæ gentes olim nobilissimæ Macedones, Romani, Græci, non hodie eæ ipsæ gentes, quarum furtivis plumis exornatum nos, si Diis placet, imus. De Macedonibus testis omni exceptione major est ipse Alexander Magni cognomento insignis, qui in Philotæ accusatione hoc quoque crimen ei intendit. Ecquid videtis odio etiam patrii sermonis Phlilotā teneri, solus quippe fastidit eum dicere? Sed dicat sanè, utcumq; cordi est, dum memineritis, æquè illum à nostro more atq; sermone abhorrere. De Græcis docēt Cynuhas apud Athenæum lib. 3. qui reprehendens Ulpianum quod ἄχρητον φαινόλην dixisset, τὸν τριχαινὸν καὶ οὐδέπω ἐν χρείᾳ γενόμενον, utitur προθεραπείᾳ, propter vocem φαινόλην, qui erat Romana penula, usurpatam eminente quoq;

à Græcis dicit, sed rarissimè Romanos hoc nomine vehementer commenda: Valerius Ma-
l. 2. c. 2. ximus: *Magistratus, inquit, prisci, quantopere suam populiq; Romani majestatem retinentes se gesserint, hoc cognosci potest, quod inter cætera obtinendæ gravitatis indicia, illud quoq; magnâ cum perseverantiâ custodiebant, ne Græcis umquam nisi Latine responsa darent, quin etiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussâ, per interpretem loqui cogebant: non in urbe tantum nostrâ, sed etiam in Græciâ & Asiâ, quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior defenderetur.* Nec illis (addit per occupationem) deerant studia doctrinæ, sed nulla nō in re pallium togæ subjici debere arbitrabantur. Indignū esse existimātes illecebris & suavitati literarū
Lib. 57. imperii pōdus & auctoritatē donari. Verè autē hæc à Valerio dicta confirmat Tiberius apud Dionem: cujus verba sunt, Sisenna Statilio Tauro, L. Libone consulib⁹, Tiberius edixit, ne quis aurea vasa, nisi ad rem sacram haberet, dubitantibus nonnullis, an argēteis etiā, quæ aureis emblematis celata essent, interdixisset? facturus hac quoq; de re edictū, emblematum vocabulum in eo poni, quia græcum esset, prohibuit, quamquam latinū, quo
cap. 60. id interpretaretur nullum esset. Idem centurionem in judicio testimoniū Græcè dictū non tulit. Claudius etiam Imperator apud eun-

undem Hiſtoricum, Lycium quendam Legatum, ſed Romanum natum, quamquam gente Lycius eſſet, cum latinè interrogaſſet, isq; non intelligeret interrogantem, civitatis ei jus ademit, dicens Romanū eū eſſe nō debere qui ſermonē Romanū & patriū loq; neſciret. Imitatus hic in re Auguſtū, qui, ut auctor eſt Suetonius Legato Cōſulari ſucceſſorē dedit, ut rudi & indocto, cujus manu ixi pro ipſi ſcriptū animadverterat. Atq; hæc quidē Linguæ patriæ majeſtas, ne ab Impatoribꝰ quidē ſive Principibus Romani Imperii, ſine culpâ īminui potuit, argumēto eſt Marcelli reſpōſum datū Tiberio apud Dionē, poſſe Imperatorē hominibꝰ barbaris civitatē Romanā dare, vocabulis nominibꝰq; barbaris nō poſſe. Turcæ noſtri hodiè Majeſtatem Imperii ſui rectè tueri ſeſe eo putāt, quod neminē legatū mittunt, niſi Turcicâ linguâ utētē, neq; aliâ cuiq̄ reſpōdē.. Quin ad nulla fœdera ſervādæ teneri ſe putant, niſi q̄ linguâ Turcis uſitata (Arabicam Bembus adpellat) concepta & cōcluſa fuerint. Quæ cura, ſi Barbarorum animos inſedit, quid nos deceat, Tireſiâ cæciorem eſſe oportet, qui non videat? Et audiamus Gallos, Italos, & Hiſpanos, quis eorum alienâ linguâ ſuam vitiare præſumit? Verum in re perſpicuâ verboſum aut diſertum eſſe nihil attinet.

*c. 88. in ejus vitâ.*

DECA-



# DECADIS IV.

## CAPUT I.

### *Aulici quædam idea delineata.*



Ctum agere multis videbor, si post tot summorum virorum doctissimas de Aulico commentationes, ego quoq; post Homerum videlicet Iliada canere præsumam: quibus nihil repono, nisi studium & voluntatem testandi bonis quibusque, nihil à me prætermitti, quod moribus sanandis faciat. Quod si ea, quæ dicturus ego sum, jam ante me dixerunt alii, seculi pudor & convitium est, non paruisse rectè monentibus; & quid prohibeat aut vetet eadem inculcare, & quasi fodicare languentes & in rectum segnes animos? Sin & nova quędam affero, damnari volo, si nostra fuerint aut in publicum perniciosa. In Aulico igitur Fortissimus & Augustissimus Imperator Carolus V. Austriacus tria potissimum requirebat: *Probitatem, Benevolentiam & Prudentiam:* Probitatem ideo, ut bonum sequatur, malũ fugiat: Benevolẽtiã ut quæ utilia sunt Principi & Principatui, ea curet suadeatq; Principi dico & Principatui: Utri-

Utriq; enim conjunctim Aulicus bene velle debet, ut docuit nos philosophus: & Alexander de Hephæstione & Parmenione, alterum Alexandri, alterum Regis amicum esse. *3. polit. c ult.* Prudentiam requirebat, ut quæ benè Principi vellet ac Principatui, sciret exsequi: Probitas & Benevolentia animi bona sunt, & dilectu vestigari debent. Prudentia paratur vel insigni experientia, qualis in Philippo Comineo fuit, Maximiliano item Burano & aliis, vel longâ ætate, quâ Nestor sapere didicit, vel multarum gentium & provinciarum cognitione, quæ Ulyssem æternitati consecravit, vel deniq; literarum studiis & Historiarum indefessa lectione, qua ratione Socrates & Solon in animis hominum sui memoriam posuerunt. Ad has dotes accedat gratia quædam & comitas, qua se ingeniis Principum suorum accommodare discant, mentem, nutus, vultum eorum aucupentur, & ad commodum publicum prudentia deinde dirigant. Talis fuit apud Leonem Macellem Acacius Patriarcha apud Suidam, qui animadversa Leonis Macellæ in eos, à quibus offensus esset crudelitate, ejusq; ingenio exquisitè deprehenso, quod id à solis laudantibus capi posset, operam dabat, ut omnia ejus dicta & facta miraretur. Quâ ratione facilè cum dicto audientem habuit, atq; ejus iracundiam sæpè

repressit, & multis, quibus Princeps offensus erat, saluti fuit, & perpetuo exsilio damnatos in patriam revocavit. Neq; hoc turpe quiquam videri debet, si Tacitum audiat in descriptione Lepidi, quem præfecti Aulici exemplar appellare mihi posse videor. Hunc ego Lepidum, inquit, temporibus illis gravem & sapientem virum fuisse cõperio: Nam pleraq; ab sævis adulationibus aliorum in melius deflexit, neque tamen temperamenti egebat cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium viguerit; unde dubitare cogor fato & sorte nascendi, ut cœtera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos: an sit aliquid in nostris consiliis, liceatq; inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum: Hæc ille. Talis Phraates quoq; fuit apud Tacitum. Spartianus Adrianum privatum Trajani moribus obsequentem fuisse scribit, & huius artis scientissimus Comineus, qui Domini sui Ludov. Galli XI. etiam cogitationes sæpe prævidit. Aliud obsequium est, quod deforme Tacitus appellat, Ammianus Marcellinus ancillarem adulationem. Maximè verò Taciturnitati studeat aulicus, nec arcana sibi à Principe commissa prodat aut vulget. Commẽdatur hoc nomine Eutherius Eunuchus ap. Marcellinũ tãquam semper sobrius

4. Annal.

lib. 16.

brius & inprimis cõsistens, ita fidẽ continẽtiãq; virtutes coluit amplas, ut nec pdidisse aliquãdo arcanum instituendæ causa alienæ salutis nec exaudisse cupiditate plus habẽdi arcesseretur. Memorabile est illius cõsiliarij dictum, fœtorem oris obiicienti respondentis: mirũ non esse, si os sibi fœteat, in quo tot arcana computruerint, atq;hoc tãtò studiosius est Cõsiliario providendum, quãtò difficilius est secreta continere. Quod Petronius Arbiter animadvertit, cum canit:

*Nam citius flammas mortales ore tenebunt*
*Quam secreta tegant, quicquid dimittis in aula*
*Effluit, & subitis rumoribus oppida pulsat.*

Quod si hæc monita in aures animumque demiserit, inoffensum iter inter gravissimorum negotiorum vepres conficiet, gratiaq; Principis florebit. Quæ res quanquam est pulcherrima, unde Seianus apud Tacit. triumphat; quod pulcherrimum, adeptum se videlicet esse, ut conjunctione Cæsaris dignus *4. Annal.* crederetur: & Pomponius in laudibus Nervæ ponit, cum familiarissimum Cæsari fuisse; tamen hac quoq; in parte maximâ opus est cautelâ, ne amicitia huiusmodi abutamur & conveniat in nos illud eiusdem Taciti de P. Suilio, quem scribit Claudii amicitiâ diu prospere, nunquam benê usum. Qua caussa Lampridius in Heliogabalo reprehendit

Zoticum. Hic, inquit, familiaritatis nomine abutens, omnia Heliogabali dicta & facta vendebat fumis, quàm maximè divitias enormes ſperans, cum aliis minaretur, aliis polliceretur, omnes falleret, egrediensque ab illo ſingulos adiret, dicens: De te hoc loquutus ſum, De te hoc audivi, De te hoc futurũ eſt: ut ſunt homines hujusmodi, qui ſi admiſſi fuerint ad nimiam familiaritatem Principũ, famam non ſolùm malorum, ſed & bonorum Principum vendunt, atq; ſtultitia vel innocentia imperatorum, qui hoc non perſpiciunt, infami rumigeratione paſcuntur. Ne quid dicam, quàm periculoſa ſit & vitrea Principum amicitia, quæque aulicos ſæpè miſerandis exitijs de momentanea felicitate deturbat. Itaque Saluſtii memores ſint, qui ſpeciem magis in amicitia Principis tenebat, quam vim. Eleganter Tacitus: incolumi Mecœnate proximus Criſpus Saluſtius, mox præcipuus, cui Secreta Imperatorum innitèrentur, ætate provecta, ſpeciem magis in amicitia Principis quam vim tenuit. Idq; & Mecœnati adciderat, fato potentiæ rarò ſempiternæ, An ſatias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum eſt, quod cupiant. Exemplo Belliſarius unus ſit pro omnibus, cui calidiſſimum affectum ut oſtenderet Juſtinianus, in numorum

*lib.3. Annal.*

*Seianus.*
*Plautianus.*
*Hermeas, alii*

IIII

una parte ſeipſum, in altera Belliſarium armatum exprimendum curavit, cum hoc Elogio: *Belliſarius Romanorum gloria.* Quem verò exitum adfectus iſte ſumpſerit, omnes hiſtoriæ loquuntur: ſed de his pluribus dicemus in cõſideratione de lubricis fortunæ caſibus. Imprimis verò caveant abuti Principũ amicitiâ ad libertatem nimiam vel obloquẽdi vel jocandi cum Principe. Libertas enim illa Clytum interfecit & Philotæ necem accelevit; quorum hic apud Curtiũ queritur: Fides amicitiæ & veri conſilii libertas periculoſa, vos me decepiſtis, eos qua ſentiebam ne reticerem impuliſtis. De Vibio Sereno Tacitus; Tiberio vetus odium adverſus exſulem Serenum, quædam contumacius dixerat, quã tutum apud aures ſuperbas & offenſione proniores. Pauci enim Principes ſunt, qui ferre libertatẽ poſſunt, nec crebri hodiè Auguſti. aut Veſpaſiani, aut Antonini, qui callum obduxerint ad hanc liberam compellationem. Jocis autem omninò abſtineat, præſertim felle Lycambeo tinctis, aut Archilochiis: *Acerbarum enim facetiarum longa memoria apud præpotentes*, inquit Tacitus, & rurſus: *Aſperæ facetiæ uti multum ex vero traxere, acrem ſui memoriam relinquunt.* Vita conſtitit Petro Dano jocus mordax, quo perverat Uladiſlaum Poloniæ Principem, ut auctor eſt Martinus Cro-

5 Annal. c. 2.
15. Annal, c. 68.

 me-

merus. Chasraiico item Gallo filii sarcasmus apud Clodoveum nocuit, contraq; leges pater cum filio multati morte sunt, apud Paulum Æmylium de Fusio Consule vide Tacitum d. loco. Item de Vestino ubi ita, inquit. *Neronis odium adversus Vestinum ex intima sodalitate cœperat, dum ignaviam Principis penitus cognitam despicit, ille ferociam amici metuit. sæpe asperis facetiis illusus, quæ ubi multum ex vero traxere. acrem sui memoriam relinquunt.* Atq; hæc nobis Aulici Idea concipiebatur intra animum. Perfectiorē dari posse nihil dubito, sed utinam vel horum, quæ hic dicta sunt, omnes memores essent.

lib. 5 c. 2.

## CAPUT II.

### *De iuramentis Romanorum quædam minus obvia.*

VArios jurisjurandi ritus & formulas descripsi. Alexander ab Alexandro, & doctissimus Brissonius, aliiq; complures, quæ notata nobis super ea re nō ita protrita, propter adolescētes Antiquarum literarum studiosos, placuit in hoc caput conijcere. Distinguam autem JURAMENTUM in duas veluti classes. Primum enim dicam de *Principum iuramentis*, deinde de *privatorum*. In *Principum iuramentis* eorumque qui

cum

cum imperio populo præsunt, notabile hoc occurrit, qood principes & imperatores, juramentum iurabant non proletarium aut vulgare, sed magnificum, augustum & suâ fortunâ dignum. Tale est juramentum Augusti apud Suetonium. *Ita mihi salvam ac sospitem remp: sistere in sua sede liceat, atq; eius rei fructum percipere, quem peto, ut optimi status auctor dicar, & moriens, ut feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta reip: quæ iecero.* lib.2.cap.28. Cui simile fuit juramentum quoq; Trajani, quem aliquoties jurando dicta consuevisse firmare scribunt: *Sic in provinciarum speciem redactam Daciam videam. Sic Pontibus Istrum, Euphratem superem, &c.* Ammianus Marcellinus eleganter de Juliano Imperatore: lib 24. *Animabat Iulianus exercitum cum non per charitates, sed per inchoatam negotiorum magnitudinem deieraret adsiduè: Sic sub jugum mitteret Persas, ita quassatum recrearet Orbem Romanum.* Quibus simile Probi illud est apud Flavium Vopiscum ad Capitonem Præfectum Prætorio: Te quæso Capito. *Ita mecum salvâ rep. perfruaris, annonam & commeatus & quicquid necessarium est ubiq; militi, pares.* in Tacito Imp. Neque abludit illud Planci Imperatoris in Epistola ad Ciceronem: *Quod ad me adtinet, mi Cicero, ita ab imminentibus malis, resp me adiuvante, liberatur, fit honores premiaq; vestra suspicio, conferenda.* 9.Epist.lib.10 cer-

*certè cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio perseverantiaq; sim remissurus.* Quam elegantem observationem magno etiam Casaubono, adceptam ferimus,

In *Privatorum Juramentis* notabile hoc, quod *iurabant per nomen Principis, per genium Principis, & per fortunam eius.* Sic apud Tacitum Rubrio crimini dabatur violatum perjurio nomen Augusti. Horatius etiam:

*Præsenti tibi maturos largimur honores,*
*Jurandasq; tuum per nomen ponimus aras.*

De Ratione jurandi per genium Principis multa illi, quos ante laudavi. Per fortunam suam Tiberius initio Principatus sui jurari vetuit, posteà tamen cœptum est jurari per fortunam eius & Seiani simul. Iurabant etiā *tacto Principis capite.* Sic Jovius apud Zosy-
lib.5 mum Honorii caput tangendo jurat. Fuêre autem hæc juramenta per Principem facta omnium gravissima, ut fine eius libri docet idem Historicus: *Si,* inquit, *Deo præstitum fuisset jusjurandum, fortasse negligi posse, permittendo benignitatis Divinæ facinoris impii condonationem. Sed quando per caput imperatoris iurassent, non jā eis jam esse, contra tàm grave jusjurandum delinquere.* Quam impietatē duo sanctissimi scriptores, Tertullianus & Minutius graviter reprehendunt; ille quidem his verbis: *majore formidine & callidiore timiditate Cæsarem observatis,*

vatis,

*vatis, quàm ipsum de Olympo Iovem, citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum genium Cæsaris peieratur.* Et Minutius: *Tutius est eis per Iovis genium peierare, quàm Regis.* Et Lucanus inter ultiones sanguinis civilis, facundè hanc posuit insaniam. Ita enim canit.

*——— cladis tamen hujus habemus*
*Vindictam, quantam terris dare numina fas est.*
*Bella pares superis facient civilia divos,*
*Inque Deúm templis jurabit Roma per umbras.*

Hoc etiam memorabile est, quod Ammian. Marcellinus habet de militari juramento: *Jussi tunc universi milites in Juliani nomen jurare solemniter, gladiis cervicibus suis admotis, sub exsecrationibus diris verbis juravére conceptis, omnes pro eo casus, quoad vitam profuderint, si id necessitas exegerit, perlaturos.* lib. 21. Meminit & alius formulæ Hieronymus Epistola.79.ad Heliodorum: *In sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non patri te parciturum esse.*

## CAPUT III.

### *Veteris fortunæ memoriam retinendam.*

LEgenti mihi Vespasiani elogium apud Dionem: *Omnes, non ut imperator, sed ut privatus, memor veteris fortunæ, excipiebat,* in mentem venit multorum Principum studio-

sa cautio, ne veteris suæ fortunæ memoria, quovis modo, aboleretur. Non enim jucundum modò sed & gloriosum est, meminisse vel se, vel majores fortunâ oppressâ velutiac pedibus subjectâ, virtutum præmia cōsequutum esse. Quid? quod veteris fortunæ memoria frenum est cupiditatum, adeoq; libidinē dominationis comitem comprimit & sistit. Exemplo maximè evidenti & perspicuo Agathocles Siculus est, qui *figuli filius*, nullâq; generis prærogativâ commendabilis, bellicis studiis clarus, tandem regno Siciliæ dignus judicatus est. Hic memor Originis, quamq; in ludibrico fortuna eum collocasset, ne regni specie abriperetur ad illicita, ortus sui memoriâ sic conservavit, quoties cibū caperet, *aureis argenteisq; vasis misceri fictilia jussit*, quorum intuitu *figuli se filiū* esse recordaretur. Quam in rem eleganti Epigrammate Ausonius:

*Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,*
*Atq; Abacum Samio sæpè onerasse luto.*
*Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum*
*Sicaniæ, figulo de genitore satus.*
*Fortunam reverenter habe, quicumque repentè*
*Dives ab exili progrediêre loco.*

Agathoclis exemplum æmulatus est Primislaus Bohemiæ Dux antiquissimus, Lybussæ maritus, quem, cum *ab aratro* maritum sibi dele-

delegisse, Legatis ad eum decem equi sui du-
ctu missis, iisq; ad ripam fluvii Belinæ, quo lo-
co pagus Stadicius, Primislaum in agro inve-
nissent agnitum, dum equus poplites arato-
ri una cum cervice quasi venerabundus sub-
mittit, adloquuntur atrum panem & caseo-
lum de vomere mensæ vicem fungente adro-
dentem, Principemq; consalutant, qui re-
sponso præsagiisq; de duratione & incremen-
tis Imperii Bohemici datis, vestitum obsole-
tum rusticanumq; deponit, ac se purpurâ &
calceis, â Lybussa missis, induit, & sic lautior
equum conscendit, Vicegradum iturus ad
celebrandas nuptias & capessendum in Bo-
hemos imperium. Cum paulùm proces-
sisset, hei mihi, inquit, manticulum, in quâ
obsoniũ inerat, & carbatinas, quib' calceatus
eram, charas mihi exuvias, mecum auferre
oblitus sum. Redeat, oro, unus in agrum, &
ad me utraq; referat, qui retulit, quid est, in-
quit, Princeps? quur tanti tu æstimes vilem
perulam & agreste calceamentum? Abiicien-
da meâ opinione utraq; potiùs quàm oculis
ingerenda, nisi rideri ob hæc à spectatoribus,
quàm celebrari mavis. Cui Primislaus, I-
mò *celebrabor per ista, si fortunæ meæ monumentũ
ad posteros reliquero, quò submoniti successores
Principes minus olim intumescant.* Val-
dè enim insolens Princeps fuerît, quisquis
cre-

[illegible]is originis suæ tàm agrestibus conspectis, tumorem animi & inflationem non [illegible]erit. Hæc Cosmas Pragensis & Dubravius; suntq; istæ reliquiæ diu post servatę Vicegradi, ut ex Cosma adnotavit cap. 6. histor. Bohemicæ Æneas Sylvius. Cosmas calceos sive cothurnos ex subere consutos scribit, Sylvius ex querno robore factos ait. Iisdem cogitationibus Lesco secundus electus Poloniæ Princeps animum exercuit; ex plebeio enim ad imperii habenas evectus, ut scribit Martinus Cromerus, non modò singulari fuit in victu cultuq; corporis parsimoniâ, sed & rudibus & crassis pannis, quibus ante principatum usus fuerat, aulæorum loco suspensis veteris suæ fortunæ memoriam perpetuò in oculis habere voluit. Paulò aliter Alexander Guagninus, qui ait, totis diebus vitæ suæ diligenter observasse hunc principem, ut Principalibus ornamentis superindueret vestes, quas olim ex vili lana gerebat: quò direxit & hoc distichon:

Lib. 2.

Anno Christi 780.

Lib. 2. hist. Polon.

*Ante oculos voluit monumentum vile prioris*
*Fortunæ sagulum semper habere suos.*

Non minus memorabile est exemplum VVillegisi Archiepiscopi Moguntinensis, de quo post alios Siffridus Presbyter: *Tempore S. Henrici Imperatoris, VVillegisus Archiepiscopus Moguntinus vivebat: Ille, quia humilem progeniem*

*habu-*

*habuit: & patrem qui currus & bigas facere solebat: in thalamo ornatis & grandibus litteris hæc scripta habebat:* Willegis/ Willegis/ Deiner ankunfft nicht vergiß. *VVILLEGIS RECOLE VNDE VENERIS. Omnibus etiam aulæ suæ parietibus rotas appingi jussit, ut earum intuitu suam prosapiam recognosceret: Inde etiam in insignibus Moguntinæ sedis rotas est cernere.* In Annalibus deniq; Magdeburgicis reperio quendam Ludolphum à Kroppenstedte dictum, rustici pauperis filium, ad Archipræsulatum doctrinâ & virtute pervenisse, quem cum mater annis & inopiâ oppressa adire vellet, vitæ mox finiendę subsidia petitura, jussa est ab aulicis, qui pannosam Baucin Principis conspectui offerre, parum decorum judicabant, habitum mutare, nobiliq; amictu ad Præsulem indutam deduxere: Qui tamquam ignotam repudiavit, matremq; suam esse negavit; *rusticam eam fuisse dicens nec umquam tali habitu usam, nec per status conditionem aut rei inopiam uti potuisse:* Educta igitur & pannis suis reduita, posteà ad Præsulem regressa est, qui obviis ulnis eam amplexus & matrem salutavit, & honestissimè ad extremum usq; halitum secũ habuit. Discant hinc κεινῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοὶ, quid se deceat, qui ubi paulum emersére ex luto, omnes infrà se despiciunt, & nõ familiares & amicos veteres modò, sed & charita-

ritates, affectus, atq; neceſſitudines ſuas averſantur, quos tales Seneca ſuis & vivis coloribus depingit, cum ait; *Parentes ſuos non amare impietas eſt, non agnoſcere inſania.* Nec minus verè Auguſtinus: *Caninum eſt parentes non agnoſcere, & quem ille vereatur aut revereatur, qui parentum nomen dediſcit.* Paucis verbis omnia complexus eſt Nazianzenus, cum inquit,

Ῥεῖα κεν ἀρνήσαιτο Θεὸν μέγαν, ὃς γενετῆρα.

*Nempe Deum facile abiuret, quicumq; parentes*
*Abnegat, unde hauſit vitā animamq; ſuam.*

*A ſe*, inquit, Chryſologus, *migrat & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor & gratiæ genitoris oblitus.* Faſtus etiam ille & contemtus, in fortuna proſperiori, veterum amicorum, ineptus eſt & odioſus. *Fortunæ* inquit, philoſophus, *mutare debet, quæ circū te, non ipſum te, neq; iſta pugnāt, Principem eſſe, & amicitiam cum amicis ſartā tectam cōſervare.* Laudatur à Xiphilino Vitellius: ꝙ ſæpe mentionem fecerit veterum ſodalium, eosq; in honore etiam habuerit. Et addit Hiſtoricus, *Neque enim turpe aut ſe indignum putabat, ſi aliquem ex iis agnoſcere videretur, quod pleriq; faciunt, qui elati maximis & inſperatis honoribus, oderunt eos, à quibus ſe norunt, humiles antea & abiectos, cognitos fuiſſe.* Verè dicit, & Exempla hodie nimis quàm obvia.

CAPUT

# CAPUT IV.

## *Voluptatũ artifices introducti in Rempub. eidem rujnam accelerant.*

VAldè graviter non uno loco Gentium Theatra exagitat Theologus Afer Tertullianus: Nunc enim *consistoria* [a] *impudicitiæ* appellat: nunc *Veneris* [b] *Sacraria*, nunc deniq; *arcem* [c] *turpitudinum, & stuprandis moribus apta conciliabula:* Quæ cum legerem, nec ab iis diversa reperirẽ apud Chrysostomum, Cyprianum, Augustinum, cœpi exquirere, soline Christiani, odio Gentilismi, in spectacula veterum inveherentur, q̃ præsertim Augustinum audiebam exclamantẽ: *Omnia in theatris pietati ac honestati cõtraria fieri:* an vero ipsi quoq; Gentiles, si qui meliores, conspirarent cum nostris judicio? & reperi nihil tam atrociter à nostris dici potuisse, quod non superaret severitas Censorum etiam gentilium. Initio quidem instituerant Gentiles, tàm Græci quàm Romani Ludos quosdam in honorem Deorum suorum, & Agones, quorum crebra passim mentio, qui religiosissimè certè colebantur, maximèq; majestati & honori numinum serviebant, omnia impuræ libidinis aut cujusquam turpitudinis signa vel judicia proculerant, Postea vero quam in Romanam

[a] lib. de spectâc. c. 17.
[b] ibid c 10.
[c] Apol g adv. Gentes c, 6.

manam Rempublicam vitia finitimarum gẽtium invasere, *Histriones quoq; sensim ex Histria*, ut ait Verrius Flaccus, *in Urbem irrepserunt, ac impudentiæ ludos aperuerunt*. Scaliger ex *Hetruria Ludiones* evocatos scribit, & Thusco vocabulo postea à Romę dictos *Histriones*. Primum Romæ comparuisse L. Sulpitio Pœno, C. Licinio Coss. Hos P. Nasica Censor tribu movit propter sordidioris operæ contemtum: de quo facto ita Illustris Scaliger: *Fortasse hoc rectè factum sit, ne censeantur esse cives Martii, qui famuli essent auræ gesticulariæ: At ærarios eosdem ab illo item factos, potentiæ fuit, non prudentiæ: Exigenda enim ex urbe ars fuerat, cujus artifices damnarat. Aerarium faceret universum populum Romanum, cujus cum assensu tùm jussu atq; etiam favore id admittebatur: Auctor potius quam actor improbandus. Verùm belluæ multorũ capitum id semper fuit peculiare, ut caput haberet nullum.* Hæc Scaliger in quo pulchrè convenit ei cum Tertulliano: qui *eodem facinore obstrictum spectatorem* dicit *cum actore*, & Lactantio, cujus verba, *Parem noxam contrahunt aures & linguæ*: quibus omnibus succinit Apuleius: *Quod facere*, inquit, *vetitum est, idem & adspicere vetitum est. Peccare videlicet & peccato favere perinde est*. Cœterum cur damnavêre scenicos hos ludos tàm multi, & præter hos Aristoteles quoq;, & Seneca, Philosophorũ duo

2. de Poet. c. 30

lib. de Spect.

Miles. ult.

Cor-

Corcula? Rationem reddere itidem paucis verbis visus est Augustinus: qui *nullo modo potuisse scriptiones aut actiones fabularum recipi*, dicit, *nisi mores recipientium consonassent*. Atq; hæc præcipuè caussa movit, cur Solon, Thespim Tragœdum, acerbè increparet, & caussanti jocum esse, responderet baculo terræ impacto, *jocum autem illum seria sequuntur. Stuprandis igitur moribus civium* (ut dicebat supra Tertullianus,) *faciunt hæc ludicra, quæ pestis Reipublicæ est capitalis.* Notavit hanc causam Zosimus in Theodosio, *tantum*, inquit: *cõplures in Vrbe Mimi ridiculorum, & quidquid ad obscœnitatem & flagitiosam dissolutamq; Musicam pertinet, ac tantum ad corruptelam præcipitavit, ideò Respublicæ quod essent, qui horum dementiam imitarentur.* Ammianus item Marcellinus de Constanti temporibus: *Paucæ domus studiorum, seriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignaviæ torrẽtes exundant, perflabili sono, vocali tinnitu fidium resultantes. Deniq; pro philosopho Cantor, & in locum Oratoris doctor artium ludicrarum accitur. & Bibliothecis, sepulcrorum ritu, in ꝑpetuum clausis, Organa fabricantur hydraulica & lyræ ad speciem carpentorum ingentes, tibiæq; & histrionici gestus instrumenta non levia.* Ubi nota mihi vocalis Musicæ & instrumentalis item insectationem, quam & alibi sæpè habeas. Vetus Poëta Organa Musica venustè vocat *arma pruriginis;*

Ep. 202.
lib. 4.
lib. 14.
lib 30.
lib. 1.

*ginis.* Seneca *sonum non virilem.* Justinus *instrumenta luxuriæ.* Zosimus quem paullò ante laudavi, de Augusti temporibus ita loquitur: ἡ παντόμιμος ὄρχησις, ἐν ἐκείνοις εἰσήχθη τοῖς χρόνοις, οὔπω πρότερον οὖσα· Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρώτων αὐτὴν μετελθόντων; Pantomimorum & Histrionum saltatio prius incognita, temporibus ejus in usu esse cœpit, &c. Hos innuit Dio cum ait: *Florebant per id tempus Bathyllus & Pylades saltatores: propter quos cum sæpe populus in studia iret & partes;* Cæsar Augustus Pyladem oderat: cui ille respōdisse fertur: *Id verò tibi conducit Cæsar: populum propter nos distentum & occupatum esse:* Meminit eorumdem Seneca quoq; & de honore habito ipsis testatur Naturalium quæstionum libris: *Stat per successores Pyladis & Bathylli domus: Harum artium multi sunt discipuli, multiq; Doctores: privatum urbe tota sonat pulpitum.* Rectè dicit de *successoribus:* Erant videlicet illi Mnester, Paris, Phabaron, Caramallus & alij.

*lib. 7.*

Cautiores circa hanc rem veteres Græci, qui teste Cicerone, *nugivendos* hosce gravissimè vindicârant. Cautiores Nervij, de quibus Cæsar accepit olim: *Nullum aditum esse ad eos mercatoribus, nihil pati vini, reliquarumq; rerum ad luxuriam ullo modo pertinētium, quod his rebus relanguescere animos eorumq; remitti virtutem existimarent &c.* Inde artes Tyrannorum &

*lib. 2. de bello Gall.*

*σκέμματα* effœminare cives, ut imperium tã-quam onerosum detrectent & alteri facilè permittant. Rectè vos, ô Nervii nervosi: effœminari videlicet noluistis: Hic enim modus est *galeatos lepores* faciendi, voluptatibus inescare tamquam hamo illito, unde Tacitus de Romanis, *Voluptatibus plus adversus subjectos, quàm armis valent, &c.* Hannibalem Campania docuit: Nec Græcis ignota fuit hæc ratio, nec aliis, ut nos monuit CL. Gruterus noster, qui videatur ad locum hunc Taciti, & satisfaciet quamquam avaro sititori, fons ille omnis eruditæ & reconditæ etiam doctrinæ. Tales Voluptatum artifices erant de quibus idem Ammianus Marcellinus: *Videre erat in Urbe plebem, mentibus ardore quodam infuso à dimicationum curulium eventu pendentem: quæ res memorabile nihil vel serium agi Romæ permittebat.* quem locum cum oculis usurparem, cepi Germaniæ nostræ fatum miserari: Hodiè enim concertationes istæ de *Religione*, à quarum eventu plebs etiam, & *indocta cerdonum manus* stultissimo ardore pendet, omnem benè gerendi rem absorbent occasionẽ. Hodie Persarũ delicias effœminare Turcas, auctor est Soranzius: Verum ad rem tàm evidentem *τριὰ ἔπεα διαρκέσει.*

*ἐνὶ πτολέμοις δὲ λαγωοί.*

*lib. 4. Hist.*

## CAPUT V.

### *Certamina & contentiones de religionis capitibus parùm ædificare.*

VErum dicam, nec mentiar, lachrymæ mihi prorupêre, cum legerem iſta Taciti: *Supereſſe adhuc Herculis columnas fama vulgavit: ſive adiit Hercules, ſeu quidquid ubiq; magnificum eſt, in claritatem ejus referre conſenſimus. Nec defuit audentia Druſo Germanico, ſed obſtitit Oceanus in ſe ſimulatq; in Herculem inquiri.* Mox *nemo tentavit:* Sanctiusq; ac reverentius viſum de actis Deorum credere quam ſcire. Amarùm, inquam, flevi, conſideratione Gentilium, à quibus nos, qui Chriſtiana ſacra profitemur, vinci pietate turpe & flagitioſum deputabam. Veniebat inſimul in animum Philetæ quoq; monitũ fuiſſe vetus ſed probum:

Lib. de morib. Germanorũ.

Θεὸν νόμιζε καὶ σέβου, ζήτει δὲ μὴ·
*Deum cole atq; crede, noli quærere.*

Quid enim hodiè diſputando & altercando non conamur de Deo noſſe? In abdita ejus irrumpere conamur & inacceſſum illud lumen veſpertiliones nos miſelli, adire præſumimus, eo plerumq;, proh dolor! cum fructu, quo muſcæ ignem circum & pervolitare ſolent. In Olyntho Thraciæ locum Scarabæis infeſtum eſſe ſcribunt, in quem longe lateq;

alio-

alioqui circumvolitans Scarabæus si conjiciatur, egredi nequit, sed seipsum in gyrum continue contorquens, misere tamdem immoritur. Pari modo qui Divinæ majestatis arcana, voluntatisq; non patefactæ clausa, temerario ausu rimari tentant, vertigine mẽtis correpti, in speculationibus istis miserè hærent tandem & hosti generis humani prædæ cedunt. Quid tota Theologia hodiè nostra (sicut olim Philosophia & Medicina), quæ ad πρᾶξιν salutarem nobis præire debebat in meras λογομαχίας miserrimè devoluta est, & ut D. Paulus loquitur ἐς βεβήλυς κενοφωνίας item μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτυς ζητήσεις. Quod malum tanto luctuosius meritò bonis videtur, quantò jam est inveteratum magis & obsoletum, pluriumque retrò temporum serie velut ad nos deductum. De Constantio Imperatore Ammianus Marcellinus queritur, *Religionem Christianam absolutam & simplicem* (attende quæso) *anili superstitione confudit, in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit dissidia plurima, quæ progressu fusius aluit, concertatione verborum, ut catervis Antistitum jumentis publicis ultrò citroq; discurrentibus, per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehicularia succideret nervos.* Rectius & probius Andronicus Imperator, de quo Nicetas Choniates: *Tantum,*

*tum*, inquit, *absuit, ut morem tunc & nunc receptum de divinis dogmatibus disserendi probaret aut de Deo novum aliquid vel dicere vel audire vellet, etsi ipse rerum divinarum peritissimus esset, ut novarum Patrarum Episcopum Euthymium virum eruditione clarum, & Johannem Cinamum in tabernaculo suo contra Lopadium disserētes super illo:* PATER MAIOR ME EST, *non solum objurgarit, sed etiam abjecturum se in profluentem amnē Rhyndacum serio minatus sit, ni desisterent talia loqui.* Hodieq; apud Turcas & Moschos capitale esse novimus de *Sacris aut Religione disputare.* Rationem autem si quis poscat hujus instituti saluberrimi, dabit ciam Sisinnius apud Sozomenum his verbis: *Disputationes hæ non solum non tollunt aut reconciliant Schismata, sed hæreticos præterea magis ad contentiones accendunt.* Idcirco vitandas omnino suadeo, testesq; sacrorum adhibendas tantum τὰς ἐκδόσεις τῶν παλαιῶν formulas fidei à veteribus traditas. D. Paulus dixisset: τὴν ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων τὴν ἠκουσμένην ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ: Verissime tu Sisinni, & viderat hoc Julianus quoq; Imperator apud Ammianum Macellinum, de quo ita scribit: *Ubi abolitis, quæ verebatur, adesse sibi liberum tempus faciendi, quæ vellet, advertit, sui pectoris patefecit arcana, & planis absolutisq; decretis, aperiri templa, arisq; hostias admoveri, & reparari Deorum*

Hist. Ecclesiast. lib. 7, c. 12

rum

*rum statuit cultum. Utq; dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum antistites cum plebe discissa in palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis quisq; nullo vetante, religioni suæ serviret intrepidus. Quod agebat ideo obstinatè*, ut dissensiones augente licentiâ non " timeret unanimantem postea plebem: nullas " infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales " plerique Christianorum, *expertus*. Quibus postremis verbis pulchrè convenit ei cum D. Eucherio Episcopo: *Ex fratribus*, inquit, *efficientur capitales inimici, & fiet lugendum turbatâ germanitate discidium, & erit intra hominem non jam fidelis fraternitas, sed feralis hostilitas*. De D. Marco Imperatore accepimus, eum cum Palæstinam transiret Ægyptum petens, fœtentium Judæorum & sæpe tumultuantium tædio percitum, dolenter exclamasse: *O Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inveni.* Transiret ô ille nostram nunc Germaniam, exclamaret utiq;: O Gentes, ô populi, turbatores pacis & tranquillitatis hostes jurati: tandem vobis omnibus Christianos inquietiores inveni. Adeò videlicet quadrat hodie in Theologos, quod Galenus olim de sectis in genere pronunciavit: Δυσαποτρίπτόν τι nempe κακόν ἐστιν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλοτιμία, καὶ δυσέκνιπτον ἐν τοῖς μάλιστα καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατότερον: Contentio hæc circa

*Ecce tibi Ideam nostri seculi.*

*in Homil. p. 413 citante Fr. Tiliobregâ in notis ad Ammian.*

*lib. 1. de Nat. Facult.*

circa ſectas malũ eſt, quod nec avertas facile nec eluas, omnique prorſus eſt inſanabilius ſcabie. Cauſſa autem, cur parùm proficiatur velitationibus iſtis theatricis aut Synodicis, potiſſima videtur iſta eſſe, quod pleriq; non tàm Chriſti gloriam fratrumq; ſalutem ſpectant, quàm honori ſuo conſultum volunt; *plures quæ perperàm in juventute didicere, in ſenectute confiteri turpe ſibi ducunt & inglorium ſive ignominioſum*, ut loquitur elegantiarum arbiter Petronius, noluntque, *Quæ imberbes didicêre, ſenes perdenda fateri* cum Horatio, ſed *tenellis infantiæ quondam ſuæ perſuaſionibus in ſenectute etiam pueraſcunt*, ut eleganter Claudius Mamercus. Obſignabo caput hoc auroq; contra caris Nicephori Gregoræ verbis: *cum doctrinam noſtram ita imbiberimus, ut ferri naturã facilius mutes, quàm nos à patriis dogmatibus abducas: Quid opus eſt diſputationibus nihil profuturis? Hæreticos rejeceris? Dico, ſi nunc primum & primis nobis moleſti eſſent, iſtaq; proponerent, fortaſſis & ipſi ad certamen Diſputationis, Deo propitio, accingeremur. Sed cum olim hæc tractata ſint & eo quo decebat ordine tranſacta, & diuturnitate temporis confirmata, ſemperq; illi repudiati: quo iure hodiè, quæ olim decreta rectè ſunt, turbabimus, & inani labore eadem ſubinde repetemus? Quod iſtis quidẽ nec grave eſt, & ſummo ſtudio quæritur. Nam aliis atq; aliis rationibus cõminiſcendis & ſubinde melioribus*

Lib. [illegible] de Statu Animæ.
Lib. [illegible] Hiſt. Rom.

*ribus promittendis, aut victoriam ſibi de nobis olim victoribus, abolito vetere probro pollicentur: aut cũ mala multa in conventum noſtrum uſitato cum ſupercilio dixerint, famam per ſummam impudentiã ſpargẽt, neglectaq; veritate, ut ſunt puſillis ac jejunis ingeniis, de ſua victoriâ gloriabuntur. Verum nobis amplitudo noſtra non deſerenda eſt, neq; ea agenda, quæ è re adverſariorum ſunt, ſed ea potius, quæ nobis expediunt. Quanta porrò vecordiæ eſſet, cum Græci qui Pythagoram aut Epicurum ſequuntur, adeo divina & certa putẽt decreta Magiſtrorum, ut quidquid illis dixeris, taciti ferant & immotis animis & linguis: nos vero legibus & decretis procerum religionis & fidei noſtræ, nolle citra demoſtrationem conſtitutis limitibus inſiſtere, ſed alios diſceptantes & curioſe rixantes ac mentem dilacerantes ferre non aliter, quam hoſtes ſpolia tractare ſolent, quæ ignominioſè diſtrahunt?* Et paulo poſt, *Gregorius etiã divinarum rerum peritiſſimus, nõ minus linguam ab iſtiusmodi diſputationibus retrahit, quam manus à flamma ignis. Hæc ille.*

## CAPUT VI.

### *Furor humani geniris in exquiſitis & novis ſuppliciis inveniendis.*

VEtus eſt ſed certiſſimum *hominem & homini Deum eſſe & Diabolum*, prout enim

 ani-

animatus est quisq; in alterum, ita benè ei facere cogitat & facit, aut malè. Exẽplo sint immania illa supplicia, quibus Tyranni è medio tollere consueverunt illos, quos rebus suis minus favere existimant.

Eorum suppliciorum genera quædam rariora in hoc caput conijcere lubet, ut vel inde adpareat, quo usq; furor humanus nocẽdi libidine ardens progrediatur. Atq; initiũ quidem ducam à Turni nece, quam Livius describit: *Indicta*, inquit, *caussa novo genere lethi deiectus est ad Caput aquæ Ferentinæ, crate supernè iniecta saxisq; congestis submersus.* Cui si nile supplicium apud Thuanum legere memini, quò periit Giarda Vauri domina, cuius verba sunt; *nec mulieribus abstinuère Pontificii Legati, sed Giardam Vauri dominam in puteum præcipitatam saxis super iniectis obruerunt, quod eam ex fratre vel filio concepisse dicerent.*

decad. 1.

hist. lib. 6.

Nihil hîc dicã de Mezentij suppliciis, quorum atrocitas ex relatione Virgilij nota est. Σκαφισμὸν Parysatidis nõ possum nõ adferre, quo perire fecit Mithridatem, qui per vinum Cyri necem contra Artoxerxen jactaverat. Id genus supplicii verbis his describit Plutarchus: Τὸ δὲ σκαφευθῆναι τοιοῦτόν ἐστι. σκάφας δύο πεποιημένας ἐφαρμόζειν ἀλλήλαις λαβόντες, εἰς τὴν ἑτέραν κατακλίνουσι τὸν κολαζόμενον, ὕπτιον εἶτα τὴν ἑτέραν ἐπάγοντες καὶ συναρμόζοντες ὥς

in Artoxerxe

τε τὴν

τε τὴν κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας ἔξω καὶ τοὺς πόδας
ἀπολαμβάνεσθαι. τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἀποκε-
κρύφθαι, διδόασιν ἐσθίειν τῷ ἀνθρώπῳ. κἂν, μὴ θέ-
λῃ, προσβιάζονται κεντοῦντες τὰ ὄμματα. φα-
γόντι δὲ, πιεῖν μέλι καὶ γάλα συγκεκραμένον ἐγ-
χέουσιν. εἶτα πρὸς τὸν ἥλιον ἀεὶ στρέφουσιν ἐναντία τὰ
ὄμματα, καὶ μυῶν προσκαθημένων πλῆθος, πᾶν
ἀποκρύπτεται τὸ πρόσωπον. ἐντὸς δὲ ποιοῦντα, ὅσα
ποιεῖν ἀναγκαῖόν ἐστιν ἐσθίοντας ἀνθρώπους καὶ πί-
νοντας, εὐλαὶ καὶ σκώληκες ὑπὸ φθορᾶς καὶ σηπε-
δόνος ἐκ τοῦ περιττώματος ἀναζέουσιν, ὑφ' ὧν ἀναλί-
σκεται τὸ σῶμα διαδυομένων εἰς τὰ ἐντός. ὅταν
γὰρ ἤδη φανερὸς ᾖ τεθνηκὼς ὁ ἄνθρωπος, ἀφαιρεθεί-
σης τῆς ἐπάνω σκάφης, ὁρῶσι τὴν μὲν σάρκα κατεδη-
δεσμένην, περὶ δὲ σπλάγχνα τοιούτων θηρίων ἐσ-
μοὺς ἐσθιόντων καὶ προσπεφυκότων. οὕτως ὁ Μιθρι-
δάτης ἑπτακαίδεκα ἡμέρας φθειρόμενος, μόλις
ἀπέθανε, hoc eſt, Scaphiſmi hujusmodi ſup-
plicium eſt, Scaphas duas inter ſe congruen-
tes adcipiunt, in alteram ſupinum eum, qui
pœnæ deſtinatus eſt, locant, inde inducunt
alteram & coaptant ita, ut manus, pedes cum
capite exerantur, reliquum corpus inclu-
ſum ſit, tum cibum necando præbent, quem
ſi rejiciat, compellunt eum oculos fodican-
do ſumere. A cibo mel & lac confuſum ei
ad potum infundunt, tùm ad ſolem obver-
tunt aſſiduè oculos ejus, ut incubantium ex-
amine muſcarum tota facies integatur. Cum
autem

*Vide de hoc ſupplicio etiam Zonaram Tom. 1. Annal. qui Perſas atrocitate pœnarum omnes Barbaros vincere dicit.*

autem intus à ſe reijciat, quæ homines, qui edunt & bibunt, neceſſe habent reijcere, tineæ & lumbrici ex tabe & putredine excrementorum proveniunt, à quibus in viſcera penetrãtibus corpus corroditur & abſumitur. Poſtquam cõitat exſpiraſſe hominem, ablata ſcapha ſuperiori corolam cernunt carnem & vermium hujuſcemodi examina mordicus viſceribus adfixorum, eaque adedentium. Ad hunc modum Mithridates excarnificatus ſeptendecim dierum ſpatio contabeſcens tandem interiit. Idem Plutarchus Beſſi quoque ſupplicium miſerabile commemorat, quem Alexander dilacerari fecit directis arboribus duabus in unum deflexis, quarum utrique corporis partem alligavit. Inde laxatæ ambæ atque impetu in altum relatæ partem utraque ſuam retinuêre; Quo ſupplicij genere Flavius Vopiſcus narrat ab Aureliano punitum quemdam militem. Verba eius ſũt: *Militem qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret & ad ea pedes militis deligaret, arbores deinde ſubito dimitteret, ut ſic ſciſſus miles utrinq; penderet, quæ res ingentem timorem omnibus fecit.* Græci hoc Perſicæ crudelitatis ſupplicium διασφενδόνησιν vocãt. Cicero in Verrẽ *ſuppliciũ fuiſſe apud Græcos ait, quo malefici palam & in foro ad numellas vel ad palum adſtringerẽtur*, Qua de re vi-

re videatur Budæus in Notis ad Pandectas. An idem id fuit supplicii genus cum eo, cuius meminit Procopius 3. belli Gothici, ubi dicit, *Palos defixos ab imo per verenda maleficis*, nostri Spissen apell. estq; ejus usus maximè in Ungariâ & Bohemiâ hodiè, quomodo & *inuncationis*, cuius supplicii crebrò meminit Ammianus Marcellinus? Horrēdum supplicii genus usurpatum ab Avidio Cassio refert Vulcarius Gallicanus: *Primus*, inquit, *supplicii genus invenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, & à summo usq; ad imum damnatos ligaret, ab imo focum adponeret, incensisque aliis, alios fumi cruciatu, alios timore etiam necaret*. Atrocissimum autem fumi suppliciū esse Martyriologici scriptores testantur, cui geminum, quo Alexander Severus punit eum qui fumum vendiderat, fumo videlicet, ex lignis humidis & stipulis facto.

Carnifices Mauri hodiè lento igne torrent martyres ineffabili cum cruciatu, nostri Schmauchen adpellant. De Carolo Magno Johannes Turpinus scribit, eum Gannalonem exercitus sui proditorem quatuor equis totius exercitus ferocissimis alligari jussisse, sessoribus singulis equis adsignatis, qui contra quatuor mundi cardines eosdem admitterent. Sic ille in quatuor partes discerptus interiit. Quod genus supplicii hodie adversus *in vita Caroli cap. 26.*

Prin-

Principum *Assassinos* sive sicarios retinetur, eoq; periit patrum memoriâ Pultrodus Guisii interfector in Gallia. Fuit & hoc atrox factum, quod de Urbano VI. Pontifice scribit Collenutius, cuius verba sunt *E septem Cardinalibus, quos vinctos propter conspirationem adversus se initam ducebat, quinque in saccos immissos, ligatosque in marè projecit, reliquos Genuæ in judicio convictos securi necavit, eorumque corpora in furno exsiccata in sarcinis inde jussit adservari, & mulis impòsita cum peregrè proficiscebatur, ante sese illa cum purpureis pileis vehebat ut omnibus eâ ratione adversus se aliquid tentantibus terror esse possent*. De Agathoclis Siciliæ Tyranni sævitia hæc ex veteribus Historicis collegit Facellus (Decad. poster. rerum sicul.l. 4. p. 326.) Ægesthæ quæ & Segesta in Siciliâ divitiarum dissimulatores astragalo, quod torturæ taxillariæ genus est, torquebat. Stratum præterea æneum ad humani corporis mensuram fabricavit, in quo reos membris omnibus impositos subiecto igne comburebat. Mulierum etiam divitum ad aurum proferendum talos clavis ferreis perforabat, etiam mammas dissecabat. Prægnantium capita ventrem ac fœtum gravi lapidum pōdere premebat. Idem Facellus narrat (lib. 9. Dec. post. p. 548.) Thomam Barresium Siculum Nicolaum Clanceoffum serrâ per dor-

sum-

ſum lumbosq; adactâ medium ſecuiſſe. Concludam triſte hoc & horendum caput, duplici inuſitatorum ſuppliciorum genere, quorum alterum Anglia vidit, alterum Gallia flevit. Scribit Robertus Guagninus, Ducem Clarenſem, Eduardi Regis Angliæ fratrem, convictum adverſus fratrem inſidiarum, ſolemni Parlamenti ſententiâ damnatum, ſic periiſſe; *Initio in Maluatici vini dolio vivus extinctus est, postea inde exemptus capite truncatus*. Gallicum ſupplicium Thuanus commemorat, qui ſcribit, *Ducem Sabaudiæ, in Merindolios, inter alia innumera ſuppliciorum genera, etiam ſcarabæo adpoſito ad pectus ruſtici, & occluſo, ſæviiſſe, ut miſerrimus ſic introrſium corroſus immaniſſimis cruciatibus periret*. Videatur ſuo tempore, Boleſſai Poloni ſævitia in mulieres Cracovienſes adulteras, apud Martinum Cromerũ. lib. 7. p. [illegible] Suplicium item Bellini Comitis, cui Procopio nomen fuit, apud Dubravium, qui primùm excœcatus, tùm manibus atq; pedibus truncatus, tandem in flumine Bellina ſubmerſus eſt. Quod ſupplicium atrocius cauſa facit. Timidior enim adverſus hoſtem fuerat, quàm ducem ſuo principi fidelem æquum eſſet. Quod nec Hiſtoricum fugit, qui ſic concludit recitationem hanc: vix potuit gravior pœna proditioni conſtitui, quàm eſt conſtituta tunc pavori. De plumbi li-

lib. 8. p. 59.

biliquentis in os infusione, videatur lib. 1, Tit. 24. Codicis Theodosiani, & ad eam l. Hottomannus in l. 35. ff. de Reg. Juris,

## CAPUT VII.

### *Honestatis rigorem non ubique sequendum.*

ELeganter Hesiodus & Ovidius de diversitate seculorum & ætatum fabulantur, aureis videlicet argentea secula, his ænea, æneis ferrea successisse. Si enim omnia diligenter examines, omnem ruentis hujus Orbis statum animadvertere non erit difficile, in fundo omnia nostra hærere atq; fecem hominum, præ ut olim fuêre, in trris agere. Unde ineptus sit oportet, qui omnia, in hac mundi senectâ, conformare postulet ad juris stricti severiq; normam, Græcum est adagium, τοῖς μαινομένοις ὁ συμμαινόμενος οὗτος μαίνεται, sive ut alius inquit, *qui inter insanos solus sapere cogitat, omnium maximè desipit. Præstat, igitur,* ut inquit Horatius, *obsequio quandoq; grassari, non quidem ancillari,* sed ut Tacitus loquitur, *medio itinere pergere inter abruptam contumaciam & deforme obsequium,* recedere, item à summo honestatis rigore & Taciti illud animo versare; *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplũ, quod contra singulos utilitate publica rependitur* (Lib 24. Ann. c. 44.)

Ute-

Ut enim in navigando tempestati obsequi artis est, sic in his vitæ humanæ & Imperiorum Civilium fluctibus non semper tenēdus est cum periculo cursus ille directus ad honestatem, sed confugiendum ad δεύτερον πλοῦν & mutatâ paululum velificatione ad portum optatum tandem adpellendum. Quod cum nollet facere Cato, sed ne *latum quidem* quod dicitur, *unguem* ab honesto decederet, maxima Romanæ Reip: vulnera inflixit, adeoq; non sine caussa à duobus summis viris reprehensus est; Plutarchum dico & Ciceronem: quorum ille queritur de ipso, quod parvula jactura deliberatæ honestatis, ingentia incōmoda reip: redimere detrectarit. Ciceronis verò verba sunt ad Atticum: Catonem nostrum non plus amas tu, quam ego. Sed tamē ille optimo animo utens & summâ fide, nocet interdum Reip. Dicit enim tanquam in Platonis politia, non tanquam in Romuli fece sententiam. Apud Tacitum inter complures maximè reprehenditur hac caussa *Cn. Piso*, quem ait fuisse Tiberii Imperio *ingenio violentum & obsequii ignarum, insitâ ferocia à patre Pisone, adeo ut vix ipsi Principi concederet: liberos eius, ut multum infra se, despectaret.*

*lib. 2. Ep. 1.*

*Annal. lib. 2.*

Quales qui sunt, minus sapienter rebus suis consulere videntur, nec illud Jasonis observasse, apud Plutarchum: qui Thessalorū

*In Precept. gerendæ reip:*


O Ty-

Tyrannus cum quædam importunius fecisse culparetur, respondisse fertur: *Necessarium esse viro sapienti in parvis à justitiâ abire, qui in magnis eam salvam velit.* Neq; Principi proximi syderum cursum imitari debent, uti sicut illa contrarium mundo iter instituunt: Ita

*in cap. 7.* ipsi quoq; Principi semp contradicant & cum eo collidantur. Laudatur in hanc rem & cautelam à Salustio Jugurtha, quem ait *modestissimè parendo & sæpè obviam eundo periculis, in ma-*

*in vita Agr.* *gnam claritudinem brevi pervenisse.* Idem Tacitus socerum Agricolam commendat, quem scribit fuisse *peritum obsequi & eruditum honestis utilia miscere.* Et paulò post de eodem eleganter, inquit: *Domitiani natura præceps in iram & quò obscurior, eò irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaq; Agricolæ leniebatur, quia non contumaciâ, neq; inani jactatione libertatis famam fatumq; provocabat.* Et addit monitum elegans; *Sciant,* inquit, *quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: Obsequiũq; ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quo pleriq; p abrupta, sed in nullum rei p. usum ambitiosâ morte inclaruerunt.* Eodem encomio Annium Bassum dignatur:

*histor. lib. 3.* *Sex millia Dalmatarum,* inquit, *ducebat Poppæus Silvanus Consularis: vis consiliorum penes Anniũ Bassũ, Legionis legatum. Is Silvanum socordem bello, & dies rerum verbis terentem, specie obsequii regebat,*



*gebat, ad omniaq; quæ agenda forent, quieta cum industriâ aderat.* Quin Annibalem Livius hac præcipuè virtute commendat; *Numquam ingenium idem ad res diversissimas parendum atq; imperandum habilius fuit.*

## CAPUT VIII.

### *Pudenda signa victis olim ignominiæ caussa relicta.*

INsigne encomium Romanorum apud L. Florum legi, ubi bellum Allobrogicum describens ita inquit, *Victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus ipsis, quibus dimicaverant, locis, saxeas erexère turres, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere: quum hic mos inusitatus fuerit nostris; numquam enim Populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobravit.* Et generosè admodum in eumdem sensum Imperator magnus: *Ita vincendos hostes, ut doleant, se non prius victos.*

Quæ cum animo diligentius expendo, non possum ullo modo probare turpitudinem quorundam Principum, qui non contenti hostes sub iugum misisse, ut miseria eorũ testatior esset, addidêre insup ignominiosa vi-

ctis in æternum trophæa. Quale fuit illud Sesostris, de quo ita Diodorus Siculus: Στήλας κατεσκεύασεν ἐν πολλοῖς τόποις τῶν αὐτοῦ καταϰτηθέντων. αὗται δὲ τὴν ἐπιγραφὴν εἶχον αἰγυπτίοις γράμμασι, τοῖς ἱεροῖς λεγομένοις· Τὴν δὲ τὴν χώραν ὅπλοις κατεστρέψατο τοῖς ἑαυτοῦ βασιλεὺς βασιλέων καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσόωσις. Τὴν δὲ στήλην κατεσκεύασεν ἔχουσαν αἰδοῖον, ἐν μὲν τοῖς μαχίμοις ἔθνεσιν ἀνδρός· ἐν δὲ τοῖς ἀγεννέσι καὶ δειλοῖς, γυναικός. ἀπὸ τοῦ κυριωτάτου μέρους τὴν διάθεσιν τῆς ἑκάστων ψυχῆς φανερωτάτην τοῖς ἐπιγινομένοις ἔσεσθαι νομίζων. Hoc est, Cippos ubiq; terrarum bello acquisitarum erexit, sacris Ægyptiorum literis, hoc verborum indicio inscriptos: *Hanc provinciam armis suis pervicit Rex regum & Dominus Dominorum Sesoosis.* In cippis illis *pudendum viri* apud gentes quidem strenuas & pugnaces, apud ignavas autem & timidas, *fœminæ*, expressit. Ex præcipuo hominis membro, animorum in singulis adfectionem, posteris evidentissimam fore ratus. Eadem de eodem narrat in Euterpe Herodotus: Sesostrin narrant, omnes gentes, ut in quamq; inciderat, subjugasse. Et quascunq; earum nanciscebatur feroces & vehementer studiosas libertatis, in earum regionibus cippos statuebat, inscriptos literis sui nominis & patriæ, & quæ referrent, ipsum illos vi

sube-

ſubegiſſe: quarum verò urbes nullo prælio nulloque negotio cepiſſet, his cippis inſcripſit tum easdem literas, quas ſcripſerat eis gẽtibus, quæ viriles exſtiterant, tum muliebria genitalia: planum facere volens, illas haudquaquam viriles exſtitiſſe. Atq; hoc quidem eum feciſſe exemplo prædeceſſoris ſui Regis Oſymanduæ, vero non abſimile eſt; de quo idem Diodor. Siculus: Ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τοίχῳ τοὺς αἰχμαλώτους ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἀγομένους, εἰργάσθαι τά τε αἰδοῖα καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἔχοντας. δι' ὧν δοκεῖ δηλοῦσθαι, διότι ταῖς ψυχαῖς ἄνανδροι καὶ κατὰ τὰς ἐν τοῖς δεινοῖς ἐνεργείας ἄχειρες ἦσαν. Id eſt, in ſecundo pariete captivi Reges trahuntur absq; virilibus & manibus effigiati: quo effœminatos animos, nullasq; in periculoſis negotiis manus habuiſſe illos, ſignificatum videtur. Paulò mitius egiſſe cum Rhodiis videtur Arthemiſia Mauſoli uxor, de quâ Victruvius his verbis: *Poſt mortem Mauſoli Arthemiſia uxore ejus regnante, Rhodii indignantes mulierem imperare civitatibus Cariæ totius, armatâ claſſe profecti ſunt, ut id regnum occuparent. Tum Arthemiſiæ cum eſſet id renunciatum, in eo portu abſtruſam claſſem, celatis remigibus & epibatis comparatis, reliquos autem cives in muro eſſe juſſit. Cum autem Rhodii ornatam claſſem in portum majorem expoſuiſſent, plauſum juſſit à muro his darent, pollicerіq;* *lib. 2. de Architectura cap. 8.*

*riq; se oppidum tradituros, qui cum penetrassent intra murum, relictis navibus inanibus, Arthemisia repente fossâ factâ, in pelagus eduxit classem ex portu minore, & ita invecta est in majorem. Expositis autem militibus, & remigibus, classem Rhodiorum inanem abduxit in altum, ita Rhodii non habentes quò se reciperent, in medio conclusi, in ipso foro sunt trucidati. Ita Arthemisia in navibus Rhodiorum suis militibus & remigibus impositis, Rhodum est profecta. Rhodii autem cum prospexissent suas naves laureatas venire, opinantes cives victores reverti, hostes receperunt. Tunc Arthemisia Rhodo captâ, principibus occisis trophæum in urbe Rhodo suæ victoriæ constituit, æneasq; duas statuas fecit, unam Rhodiorum civitatis, alteram suæ imaginis, & istam figuravit Rhodiorum civitati stigmata imponentem, posteà autem Rhodii religione impediti (quod nefas est trophæa dedicata removeri) circa eum locum ædificium struxerunt, & id erectâ grajâ statione texerunt, ne quis posset adspicere & id ἄβατον vocitari jusserunt.* Turpius fuit longè simulachrum Mutinense, quod à Theodosio Imperatore positum aliqui suspicantur, cum ad eam urbem Taifalos (Tryphalos Calcagninus nominat, Thraciæ populos, Quos Aristoteles & alii Triballos) à se victos deduxisset, *gentem* (verba Marcellini) *turpem ac obscœnæ vitæ flagitiis adeo mersam, ut apud eos nefandi cõcubitus fœdere*

*dere copulentur maribus puberes, ætatis viriditatem in eorum pollutis usibus consumpturi. Porro si quis iam adultus aprum exceperit solus, vel interemerit ursum immanem, colluvione liberatur incesti.*

Quale autem fuerit hoc simulacrum, his verbis ostendit is, quem paulò ante laudavi, Calcagninus: *Quod*, inquit, *fædius, quam in celeberrimâ parte urbis hospitibus advenientibus prostitutæ mulieris effigiem, partes, quas sine pudore adpellare non possumus, & quas tegi verecundiæ publicæ interest, ostentantis in oculos incurrere, quod non sine postremæ & conclamatæ lasciviæ atq; imbellæ suspicione potest evenire.* Videatur tota illa Epistola unicè huic rei faciens. *lib.2.Epist.2.*

## CAPUT IX.

### *Quædam de Calani consilio Alexãdro dato, Principem videlicet in Umbilico Imperii consistere debere.*

SCribit Plutarchus, Taxilen uni inter Gymnosophistas celebri Calano persuasisse, uti Alexandrum conveniret, eumq; erudito aliquo Philosophemate oblectaret. Paruit Calanus, & ad Alexandrum indroductus, corium aridum in solum proiecit, ejusq; extrema vicissim calcavit. Quod dum ab ipso fieret, aliæ semper atq; aliæ partes adtollebantur. *in vita Alex.*

tur. Cum autem medium calcasset, extremitates circumcirca quietè permansêre. Quare monere voluit Alexandrum ne in regni extremitatibus se contineret, sed medium, adeoq; caput Imperii premeret. Sic enim eum circumiacentia facilius in officio retenturû. Quod consilium valdè mihi semper probum est visum, sic ut mirer, inter caussas, quur immotum fixumq; Tiberio fuerit, *non omittere caput rerum Romam, unde in omnia regimen*, hanc quoq; à Politicis non commemoratam esse. Aristides certè Panegyrico Urbis Romæ valdè commendat hoc Calani consilium, quanquam ille ad alium alteri datum referat. Cujus verba latinè à Gulielmo Cantero reddita non possum non hoc loco adferre: *Agesilaus & Clearchus fructum Imperii secundum Oebari dictum perceperunt, qui primus fertur Cyro, longiorem peregrinationem ægrius ferenti, dixisse, prorsus illi, nollet vellet, obeundum esse Imperium utris more, cuius si partes extremas calcaret, humiles fierent, aliis exsurgentibus, medio presso æqualitatem induci. Desultorii videlicet quidam Reges sunt, à Scythis-Nomadibus eo distantes, quod non plaustris, sed essedis circumvehantur, vagi quidam & errones Principes, qui propter incredulitatem & metum Regionem suam revera ut utrem aliquem premunt. Itaq; nunc Babylonem, nunc Susa occupant, rursus Ecbatana, instar pastorum,*

*qui*

*qui pascua quotidie mutant.* Rectius M. Antoninus Pius, de quo Julius Capitolinus scribit, ingenti eum auctoritate apud omnes gentes fuisse, cum in Urbe propterea sederet, ut undiq; nuncios, *medius utpote,* citius posset adcipere. Quod ab eo quoque didicit Constantius Imp. de quo Ammianus Marcellinus: *Constantium Imp: exagitabant assidui nuncii, deploratas iam Gallias indicantes, nullo renitente, ad internecionem Barbaris vastantibus omnia, æstuansq; diu, qua vi propulsaret ærumnas, ipse in Italia residens, ut cupiebat (periculosum enim existimabat se in partem contrudere longè dimotam) reperit tandem Consilium rectum.* Non igitur sine causa Claudianus Poëta Romam ita fingit conpellantem Honorium: *de sexto Consulatis Honorii.*

*Quem precor ad finem Laribus sejuncta potestas*
*Exsulat imperiumque suis a sedibus errat?*
*Cur mea quæ cunctis tribuêre palatia nomen*
*Neglecto squallent senio? nec creditur Orbis*
*Illinc posse regi? medium non deserit unquam*
*Cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.*
*Segnius an veteres Istrum, Rhenumq; tenebant,*
*Qui nostram coluêre domum? leviusne timebant*
*Tygris et Euphrates, cum fœdera Medus & Indus*

*Hinc peteret, pacemq; meâ speraret ab arce, &c.*

*In dicto Panegyrico.* Quibus versibus consentit Aristides: *nihil opus est Imperii Romani Præsidem*, inquit, *totum imperium miserè pervagari, nec variis commeatibus singula stabilire, terram calcando! Cum possit Orbem totum commodissimè per epistolas regere, quæ mox ubi scriptæ sunt, velocissimè tanquam ab avibus deferuntur. Quarum mandatis ac nutibus citius, quàm digitum moveris obtemperatur & penè citius, quàm mandatum quid fuerit, effectum datur.* Hoc videlicet erat, quod Tiberius *cõsiliis se semper superesse* jactabat, *quod Urbem omittere nollet, unde in omnia regimen.*

*3. Annal.* Quod verò Drusus apud Tacitum pro uxoris in castra comitatu ita loquitur: *Principibus adeunda sæpius Imperii longinqua*, Divum Augustum in Occidentem atq; Orientem meavisse, se in Illyricum profectum: ex eodem *lib 4. hist.* Historico respondeo, *si status Imperii aut salus nobilium provinciarum in discrimine versatur, ire debere principem, parvis periculis non immixtum, majoribus non deesse debere.* *In Panegyrico Constantio Cæsari dicto.* Omninò autem præstare vim fortunamq; Principatus è proximo ostentare. Oratoriè igitur magis, quàm verè Eumenius Orator, cũ M. Antonino Pio huius moniti obsequium culpæ tribuit. Verba eius sunt: *Venit hoc loco in mentem mihi, quàm delicata illorum Principum fuerit, in administrandâ rep. ac adipiscendâ laude fœlicitas, quibus Romæ*

degen-

*degentibus, triumphi & cognomina devictarum à Ducibus suis gentium proveniebant.* Itaq; Fronto Romanæ eloquentiæ non secundum, sed alterum decus, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret, quamvis ille in ipso Urbis palatio residens, gerendi eius mandasset auspicium, veluti longæ navis gubernaculis præsidentem totius velificationis & cursus gloriam meruisse testatus est. *At enim, tu Cæsar invicte, omnis istius & navigationis & belli non modo pro Imperii Iure præceptor, sed rebus ipsis & exemplo Constantiæ tuæ hortator atq; impulsor fuisti.*

## CAPUT X.

### *Ambitio quorumdam circa Titulos notata & reprehensa.*

NOn minus elegans, quam vera Senecæ Philosophi sapientissimi, querela, inve- *Epist. 86.* hentis in summam circa balnea Romanorum luxuriam. *Postquam*, inquit, *munda balnea inventa sunt, spurciores sunt, qui lavant.* Cui simile est Bonifacii dictum: *Cum*, inquit, *ligneis uteremur calicibus, aureos Sacerdotes habebamus, nunc aureos habemus calices, ligneos sacerdotes:* Annon idem verè dici possit de ambitione, quæ hodie circa titulos & honorū vocabula versatur? Olim virtutibus & meritis certabatur

*vid. Decret. part. 3. de consecrat. distinct. 1. can. 44.*

baturin remp. hodie meræ de Titulis contentiones. Laboravit hac ambitione optimus alioquin Imp. Trajanus, quem omnib⁹ operibus ſuis, qua novis qua innovatis, titulos adſcripſiſſe pompoſos, ſatis adteſtatur Conſtantinus Imp. quem Sextus Aurelius Victor ſcribit Traianum ſemper adpellaſſe *herbam parietariam*. Et addit rationem, ob titulos multis ædibus inſcriptos. Cui Traiano circa curam hanc nihili comparat Lampadium quendam ex Præfecto Prætorio Ammianus Marcellinus: *Homo*, inquit, *erat indignanter admodum ſuſtinens, ſi etiam, cum ſpueret, non laudaretur*: Et addit, *vanitatis eius exemplum, ne latius evagemur, hoc unum ſufficiet poni, leve quidem, cavendum tamen. Per omnia enim civitatis membra, quæ diverſorum Principum exornarant impenſæ, nomen proprium inſcribebat, non ut veterum inſtaurator, ſed ut conditor, quo vitio laboraſſe dicitur Traianus. Unde eum herbam parietinam jocando cognominârunt.*

Cui ſtultitiæ neſcio annon ſit adfinis Conſtantius quoque Imperator apud Ammian.
lib. 16. Marcell. qui ſæpius laureatas literas ad ſenatum miſit de victoriis ſuis, mentitus impudẽter cum odioſa ſui jactatione, ſe inter primores in acie verſatum, viciſſe, ſupplices gentiũ Reges erexiſſe, cum prælio nunquam interfuiſſet. Quo pertinent & inepti illi Turcico-

rum,

rum, Persicorum & aliorum Barbarorum tituli, qui se fratres Solis, natos ante Luciferū, Reges regum, flagella Dei, impiâ & vesanâ [illegible] se appellare non dubitarunt. Quam [illegible] suaviter risit in Arsace Persa Flavi[illegible] apud Xiphilinum. Ruinæ Darii [illegible] fastus declaratus legatione ad Alexandrum missa, cum se *Regem regum ac Deorum consanguineū*, Alexandrum verò *famulū suum* adpellaret. De Pompeio Columnâ Episcopo Reatino scribit Paulus Jovius; Cum Julius Pontifex ei reconciliatus esset intercessione multorum Principum, eaq; caussa per brevem Epistolam gratiam & reditum Pompeio polliceretur, in cuius pręscriptione titulum Episcopi Reatini fortè non posuerat, rejecisse eum epistolam, ferentiq; dixisse, *alibi eum Pompejum ad quem Pontifex scriberet, esse requirendum, se Episcopum Reatinum esse, ad quem minimè Epistola ea scriberetur. Quæ res mirum, quantum animum Pontificis exulcerârit.*

Sarcasticum admodum illud fuit, quod fecisse Franciscum I. Galliæ adcepimus, ad quem, quum tempore controversiarum Augustissimus Cæsar Carolus V. pro ratione Majestatis suæ scripsisset, tituliq; Imperiales, atq; provinciarnm ac dominiorum inclytæ domus Austriacæ magnum chartæ spacium implevissent, mordax Gallus in respon-

sponso tantundem spatii insumpsit, repetitione vocis *Galliæ*, hoc modo: *Franciscus I. Rex Galliæ, Galliæ, Galliæ, &c.* addito, *unum suum Galliæ regnum sufficere omnibus Imperii provinciis domandis.* Hodiè quod sal defricet scabiem hanc? Titulorum qui regi olim idonei erant, vix hodie nobilem satient. Principes olim optimos & Clarissimos dicere multum erat; at quis hodiè contentus illis sit ludimagister? sicut olim *barba cum pallio neminem faciebant Philosophum, sed mentiebantur sæpè: Ita tituli oneri potius sunt quàm honori, nisi rerum merita respondeant*, Pulcherrimum est & imitandum deinceps omnibus bonis, quod de Alexandro Severo testatum reliquit Ælius Lampridius, cui cum more Romano omnes cumulatim tituli tàm à senatu, quàm à populo deferrentur, modestissimè respondisse fertur, *displicet primùm aliena adsumere, deindè gravari me vestrâ benevolentiâ sentio. Hæc enim insignia nomina onerosa sunt.* Et subjungit Historicus suum judicium: *Multò clarior visus est, alienis nominibus non receptis, quàm si recepisset, atque ex eo constantiæ ac plenæ gravitatis famam obtinuit.*

DECA-

# DECADIS V.
## CAPUT I.
### *Non differenda beneficia, donec coacta videantur & gratiam amittant.*



CRavissimè disputat Seneca initio libri secundi de beneficiis, properanda esse beneficia non trahenda, *quia ingratum fiat omne, quod diu inter manus dantis hæserit, cum nolentem se dare ipsa cunctatione testetur, qui tardius dat & vultu penè negantis.* Inprimis autem hoc cordi habere debent ii, qui cum imperio præsunt, ut prudenter monuit scribtor Hetruscus; *Cavere autem præcipuè, ne, quod negare mallent, largiri tandem subditis inviti cogantur.* Caverunt hoc unicè Romani, ut ex his Exemplis liquere potest. Initio statim Urbis conditæ, cum rem inter se centum Patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerũ præessẽt, partiti essẽt, fremere plebs multiplicatam servitutem, cẽtum pro uno Dominos factos, nec ultra, nisi regẽ & ab ipsis creatum videbantur passuri: Quid ad eam rem Patres? Livium audi: *Cum sensissent ea moveri Patres offerendũ ultrò rati, quod amissuri erant, ita gratiam ineunt, summa potestate populo permissa,* ut

*lib. 1. Discurs. in Liv. c. 32.*

*ut non plus darent iuris, q̃ detinerent. Decreverunt enim, ut cum populus Regem iussisset, id sic ratum esset. si patres auctores fierent. Itaq; Interrex cõcione advocata:* Quod bonum, faustum, felixq; sit, *inquit, Quirites Regem create, ita Patribus visum est. Patres deinde, si dignum. qui secundus ab Romulo numeretur, crearitis auctores fient.* Quomodo v. hoc consilium accepit plebs? Audi porrò Livium: *Adeò id gratum plebi fuit, ut ne victi beneficio viderentur, id modo sciscerent juberentq; ut Senatus decerneret, qui Romæ regnaret.* Idem observavit Senatus Romanus sub adventum Porsenæ Clusini Regis, quem Tarquinii ad inferendum Romanis bellum induxerant, Ubi Livius: *Non umquam alias ante tantus terror senatum invasit, adeo valida res tum Clusina erat, magnumq; Porsenæ nomen. Nec hostes modo timebant, sed suosmet ipsi civeis, ne Romana plebs metu perculsa, receptis in urbem Regibus, vel cum servitute pacem acciperet. Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data, annonæ inprimis habita cura, & ad frumentum comparandum missi alii in Volscos, alii Cumas, salis quoq; vendendi arbitrium, quia immenso pretio venibat. in publicum, omni sumtu ademtum privatis portoriis quoq; & tributo, plebe liberata ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent, pauperes satis stipendii pendere, si liberos educent.*

lib. 2.

Nec

Nec defuit huic quoq; consilio eventus: subjungit enim: *Itaq, hæc indulgentia Patrum asperis postmodum rebus in obsidione ac fame adeò concordem civitatem tenuit, ut regium nomen non summi magis quam infimi horrerent, nec quisquã unus malis artibus postea tam popularis esset, quam tum benè imperando universus Senatus fuit.* Verum videri & hic Senatus possit distulisse lõgius beneficium, quod tamen fortuna & casus probarint,

Ita tamen universè Romanos sensisse testis est Oratio elegans P. Servilii apud eumdem Livium in nobili illa secessione populi à Senatu cum Volsci irruerent: quâ curæ esse patribus docet ut consulatur plebi: cæterum deliberationi illi de maximâ quidem illâ, sed tamen parte civitatis, metum pro universa Repub. intervenisse, nec posse, cum hostes prope ad portam essent, prævertisse bello quidquam, *neq, Patribus satis decorum per metum potius, quàm postmodùm voluntate afflictis civium fortunis consuluisse.* Rectè Livius *parum decorum Patribus id futurum fuisse.* Idem Dio quoq; de Galbâ testatur: Quem cum Prætoriani Neronis urgerent, ut se in eodem militiæ gradu retineret, Galba autem adsensum suspenderet, tumultuantibus Prætorianis ob id, exercitu contra eos misso, septem millibus cæsis, in reliquos decimatione sævit. Quo lo-

*lib. 2.*


*lib. 64.*

co Historicus: *Galba videlicet licet ætate & morbo confectus esset, tamen mente vigebat & consilio, putabatq; indignum esse imperatorem coactum aliquid facere,* quod pluribus etiam exemplis docuit. Cum eum iidem postea pecuniam peterent Prætoriani, negavit purè cum his verbis, *Legere soleo militem, non emere.* Cumq; populus vehementer postularet, ut Tigellinus & cæteri, qui per libidinem ante pleraq; gesserant, supplicio afficerentur, non concessit, quos fortasse, si ab eo postulatum non fuisset, interfici jussisset. Fridericus I. ap. Gunth. lib. 6. planè cum Galbâ sensit; ita n. inquit,

*Ergo pudet, populo, quasi debita, cogar avaro*
*Solvere, cum magni solvunt indebita reges.*

*Dio l. 69.* Eadem mens quoq; Adriano Imperatori, qui exspectabat quidē donec rogaretur, sed ultrò agebat omnia, prout cuiusque necessitas postulabat, memor credo præceptorum Senecæ, *qui divinari cuiusq; voluntatem vult*, & cum *lib. 2 de. benef. c. 2.* intellecta est, gravissima rogandi necessitate liberandam, cum *nulla res carius constet, quã quæ precibus emitur.* Reperio, & tertium Exemplum Romanorum apud Livium; *Opportunè*, inquit, *Senatus, priusquam ab Tribunis agrariæ seditiones, mentione illatâ de agro Lavicano dividendo fierent, censuit frequens coloniam Lavicos deducendam.* Minus providi Romanis fuêre Florentini Præsides, Guido comes & adjun-





cti ap: Macchiavel. lib. 2. Hist. Flor. Cogitabant, inquit, Rei Florẽtinæ tũm temporis administratores populum injuriis summis ante lacessitum, insigni aliquo beneficio lucrifacere: *Verum ea quæ ante necessitatem ingruentem valere poterant remedia, cum præter occasionem conferrentur, non modo nequicquam profuerunt, sed etiam exitium eorum maturarunt.*



## CAPUT II.

### *Sententias de republica liberè dicẽdas, & quædam circa hoc Axioma notata.*

VTinam omnes, qui de Rep. in consilium vocantur, verè hoc apud animum statuerẽt, quod adulatoriè de se jactat Messalla Valerius apud Tacitum; qui, cum sententiam dixisset, interrogatus à Tiberio, num se mandante eam sententiam promsisset: sponte se dixisse respondit, *neq; in iis, q̃ ad rempublicã pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis.* Cui affinia sunt verba Pompei Columnæ Cardinalis apud Jovium: Is, cum ab eo Cæsaris legatus Ludovicus á Corduba severâ quadam & parum famliari obtestatione postulasset, ut mortuo nuper Hadriano

*lib. 1. c. 8.*

*in vita vita p. 331.*

Pontifice studium atq; suffragium suum in attollendo Julio Medices conferre vellet, si secus fecisset, eum adversus Cæsarem facturum, à quo unus omnium Julius maximè probaretur: arrogantia legati plurimum offensus, nihil aliud respondit, quam *se daturum operam, ut planè intelligeret, nequaquam legatorum jussu, sed liberis Senatorum suffragiis Pontifices creari.* Cum enim Princeps aut Respublica nitantur consiljis, si premantur illa aut metu dissimulētur, aut pro utilibus damnosa dentur ruinæ via sternitur & subducuntur fulmenta, *Regulam si corrumpas aut incurves, mensuram rebus exinde omnibus adimas.* Sed offendo dicis & metus inde mihi meisq; rebus: Offendas sane, sed & cogita, cōsequi solere, ut ab iis, quos offenderis, suspiciaris postea ac lauderis, quod monuit olim Plinius, & confirmarunt Exemplis suis Ptolemæus, qui Catonis; Antiochus qui Añibalis consilia sero tandem probarunt.
*lib. 3. Ep. 9*
Metum averte moderando, ut consulas non imperes, & Callisthene relicto, q. abscisus & asper erat Alexandro, Hephæstionem æmulare; de quo Curtius: *Libertatis ius in admonendo Rege, quod solus penè habebat, ita usurpabat, ut magis à rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur.* Lucii item Pisonis exemplum tibi propone, de quo Tacitus celebri elogio: *per idem tempus L. Piso Pontifex, rarum in tantâ claritudine fa-*
*1. Annal. 6 & 10.*

*ne fa-*

*ne fato obiit. nullius servilis sententiæ sponte auctor & quoties necessitas ingrueret, sapienter moderans.*

Aut etiam Philippidæ Comici, quem ob libertatem sententiarum gratamq; moderationem plurimum dilexit Lysimachus, ut auctor est Plutarchus. *in Demetrio.* Verum quis est moderationis ille modus dicas? Tempora te cum docebunt & rerum cursus, Principum item cōditio: Apud bonum Principem nudè loqui licet; apud inprobum non item. *Tacit. 4. Hist. c. 6.* Peccavit hic Helvidius Priscus, cū esset ingenium illustre, altioribus studiis id juvenis admodum dedit, non ut pleriq;, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita Remp: capesseret, Stoicos secutus est postea à Pœto Thrasea gener dilectus, ex moribus soceri, nihil æquè ac libertatem hausit, recti deinde pervicax, constans adversus metus. Peccavit tamen hîc Vespasiano se opponens, & proinde jure reprehenditur à Marcello ibidem, quem ita locutum fingit Tacitus; *Constantia deniq; Catonibus & Brutis æquaretur Helvidius, suadere se tamen ei, ne supra Principem scanderet, ne Vespasianum senem Triumphalem, juvenum liberorum patrem præceptis coerceret. Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere.* Laudantur huius sententiæ à Tacito ibidem: *Falsa aberant, & studiis*, inquit, *Se-*

*natus attollebantur.* Addit tamen præcipuum eum diem fuisse, quo promserat illas, *magnæ offensionis initium & magnæ simul gloriæ.* Cordatè Tacitus, prudenter tamen Dio: libertatem Stoicam & Soceri Thraseæ eum usurpasse iniquissimis & minus oportunis temporibus. Quanta autem illa fuerit libertas ex Suetonio disci potest: Vespasianus inquit, Helvidio Prisco, qui reversum ex Syriâ solus privato nomine Vespasianum salutaverat, & in Præturâ omnibus edictis sine honore ac mentione ullâ transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis penè in ordinem redactus. Moderari etiam sententiam vir bonus debet ex Platonis sententia, si frustra dicat veram & seriam. Tum enim sibi Princeps imputet, si verum dici sibi nolit, & edicat, quomodo Xerxes olim fecit Græciæ bellum indicturus: Adhibitis enim Asiæ Principibus: *Ne viderer,* inquit, *meo tantummodo usus consilio, vos contraxi; cæterum mementote, parēdum magis vobis, quam suadendum.* Hoc est os in curiâ elingui claudere, & sensus animorum motu ligare. *Terror,* inquit, Plinius junior, *& metus, & misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut à Rep. oculos aures, animos averteremus. Obsepta servitute ora erant & frenata continuis malis lingua; tales eramus, quales jubebamur. Irritum est, vanum est, immò noxium est*

*lib. 66.*

*In Vespasiano c. 15.*

*ad Dionis Propinquos.*

*Val. Max. l. 9 c. 5. ex Herod. Mul. 7. & Justin. l. 2.*

*in Paneg.*

*um est*

*um est, adversus stimulum calcitrare velle,* Neq; tamen auctor hic sim, ut adsentiare Principi, multo minus ut ficto sermone probes, quod animus tibi dictat, publicè perniciosum esse: hoc est enim cum fortunâ potius & sensu principis loqui, quam cum ejus commodis & salute. Frustra consilium peti testare, ubi decretum antecesserit. Inprimis autem cave, ἀμφοτερίζοντας illos & bilingues imiteris, qui nec annuunt nec abnuunt, sed pro eventu rerum intorquent, quæ consuluere, homines versatiles & alterplices: qualis fuit apud Tacitum Asinius Gallus: Is cum Tiberius simulatè partem sibi Reip. mandari petiisset, *Interrogo*, inquit, *Cæsar, quam partem Reip. mandari tibi velis?* mox cum offensionem conjectasset, non se ideo interrogasse, ait, ut divideret, quæ separari nequirent, sed ut sua confessione argueretur, unum esse Reip. corpus atq; unius animo regendum. Qualis item Vitellius apud eumdem Tacitum, & Largus Cæcina, de quibus ita scribit: Instabat quidē Narcissus aperire ambages & veri copiam facere, sed non ideò pervicit, quin suspensa, &, quo ducerentur inclinatura responderet, exēploque eius Largus Cæcina uteretur. Propone autem omnino tibi Exemplum M. Lepidi de quo idem Tacitus; Hunc ego Lepidum temporibus illis gravem virum & sapientem fuisse

*Tacit. 1. Hist. c. 15.*

*Ann. c. 12.*

*l. XI. c. 34.*

*l. 4. Ann. c. 20*

comperio. Nam pleraq; ab sævis adulationibus aliorum in melius deflexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium viguerit, unde dubitare cogor, fato & sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos: offensio in illos: an sit aliquid in nostris consiliis, liceatq; inter abruptam contumaciam & deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. Cui Lepido similem facio & geminum L. Volusium apud eumdem scriptorem, cui tres & nonaginta anni spatium vivendi, honesta fama, fatum, præcipuæq; opes bonis artibus, inoffensa tot imperatorum malitia fuit. O felices & iterum felices in quos hæc Elogia verè dicuntur!

*lib. XIII Annal. c. 30.*

## CAPUT III.

### *Principum & potentiorum nutus pro imperio & preces vi mixtæ.*

MAgnas Fortunas decent superbia, inquit, Plautus. Inde est, quod potentiores sæpe ne verbis quidem cum inferioribus agendum putent, sed nutibus solum, quid fieri velint innuant, adeoq; cum Apuleio, quod nolunt reiecto capite, quod volunt, relato indicent. Nisi confestim fiat, quod conijciendum est, Deos omnes omnia sacra adiurant, con-

cõtemtumque sui vindicari postulant. Hinc ille apud Livium, unum sibi Patroni nutum, pro decretis Patrum esse, pro jussu Populi. Est tamen aliud quoq; genus Principalis superbiæ: cogere cum possis, petere; sed precibus, ut, inquit Tacitus, quibus contradici non potest. Hoc genus à plurimis scriptoribus indicatum etiam cum querela invenio. Plato eleganter: Αἱ, inquit, τυράννων δεήσεις μεμιγμέναι ἀνάγκης εἰσιν, cum rogatus esset à Dionysio, uti Syracusis maneret. Rationẽ reddit Pythagoras, Δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει, Potentia necessitati vicinissima; cohabitat, cum quo sentit etiam Pub. Syrus,

*4. Hist c. 46.*

*Epistola 7. ad Dion. pro pinq.*

*Cogit* (inquit) *rogando, qui rogat potentior.*

vel ut alii laudant.

*Quando potentior rogat, tunc imperat.*

Notavit hoc Macrobius quoq;, quâ illi de Laberio sermo: Laberium, inquit, asperæ libertatis Equitem Romanum Cæsar quingentis millibus invitavit, ut prodiret in scenã & ipse ageret Mimos, quos scribitabat: Sed potestas non solum, si invitet, sed etiam supplicet cogit. Id quod nec Laberius ipse dissimulat licet, tectè admodum & pudenter loquatur:

*2. Saturnal. cap. 7.*

*Necessitas, cujus cursu averso impetum*
*Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,*
*Quò me trusit penè extremis sensibus?*

*Quem nulla ambitio, nulla umquam largitio,*
*Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas*
*Movere potuit in juventa de statu,*
*Ecce in senectâ ut facilè labefacit loco*
*Viri Excellentis mente clemente edita*
*Submissa placidè blandiloquens Oratio!*

Viden', uti quam initio Necessitatem dixerat, nunc interpretetur viri Excellentis Cæsaris nempe, mente clemente editam submissã placidè blandiloquentem Orationem? Nec fugit hoc sagacissimos & ingeniosissimos Poëtas: Unde Valerius Flaccus decôri huius memor, Peliam Jasonis Patruũ, postquam introduxit suadentem ex fratre Æsone nepoti expeditionem Argonauticam istis versibus:

*Tum juvenem tranquilla tuens, nec fronte timendus*
*Occupat, & fictis dat vultum & pondera dictis.*

tandem Orationem ita concludit;

*Talibus hortatur juvenem propiorq; jubenti*
*Conticuit.*

Ovidius quoq; παθητικῶς admodum

*——precibusq; minas regaliter addit.*

Ausonius etiam provocatus à Theodosio Augusto, ut carmina sua publico permittat ita ad eum scribit; *In præfatione*

*Scribere me Augustus jubet, & mea carmina poscit,*
*Penè rogans blando vis latet imperio.*

Neq;

Neq; contentus hoc versu monuisse, facit & prosâ alibi: *Sed quid facerem*, inquit, *jussum erat, quodq; est potentissimum imperandi genus rogabat, qui jubere poterat, imperator Valentinianus &c.* *in præfatione Centonis.*
Tectè etiam sed ingeniosè tangit Virgilius in Oratione Iunonis & responso Æoli, ad quem cum Juno supplex accederet, non fert Æolus, sed confestim ei oggerit:

*Tuus, ô Regina quod optes,*
*Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.*

Haud aliter quã apud Euripidem servus petenti operam suam Dominæ Creusæ respondet: τοῦ καὶ τὸ δράσας, σὸν λέγειν· τολμᾶν δ' ἐμόν. Nec Historici hoc ignorarunt Scribit Zosimus, Philippũ ablegasse Decium ad imperium militare in Mysiâ Pannoniaq; Legionum χρησάμενον τῇ Θετταλικῇ πειθανάγκῃ h. e, persuasione cum vi & necessitate coniuncta. Quo vocabulo quoq; usus est Cicero: Ego, inquit, in Epistola ad Atticum, *non tam* γοητείαν *huius timeo, quam* πειθανάγκην Αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit Plato, οἶδ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκης. *lib. 1.* *l. 9: Ep. 15.*
Concludam hoc caput insigni loco Taciti: Tyranni olim cum Rempub, Romanam omnibus modis vexarent, & pro libidine cuncta gererent, simulachra tamen quædam Senatui relinquere videri volebant, & quædam petebant à Senatu tamquam in eius arbitrio situm esset annuere: illę preces ridebã-

tur ut ineptè fictæ & nimis apertæ: ita ergo Tacitus de Tiberio: *Per idem tempus Neronem è liberis Germanici jam ingressum juventam, commendavit Patribus, utq; munere capessendi vigintiviratus solveretur, & quinqennio maturius, quã per leges. Quæsituram peteret non sine risu audientium postulavit, prætendebat sibi atq; fratri decreta eadem petente Augusto, sed neq; tum* (addit Tacitus) *fuisse dubitaverim, qui ejusmodi preces occulti inluderent.*

*4. Annal c. 29.*

*vid. Dion l. 53. in actis Anni 730. V. C.*

## CAPUT IV.

### *Media consilia in rebus seriis periculosa.*

PRudenter & cordatè de hoc axiomate disputavit scriptor Hetruscus, Romanorũque morem commendavit producendo Exempla Latinorum & Privernatium, cui ut libenter subscribo; ita quæ notata mihi amplius in Historia veteri ad ejus rei confirmationem, conferre hic libuit. Primum igitur si Tacitum audias, mens eadem fuit Vespasiani Imperatoris, cum jam animum ad imperium adjiceret: Ita enim introducit eum consultantem. Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat: Quis ille dies foret, quo LX. ætatis annos, & duos filios juvenes bello permitteret? esse privatis cogi-

*2 Hist. c. 74*

cogitationibus progressum, & prout velint, plus minusve sumi ex fortuna, *Imperium cupientibus nihil mediũ inter summa aut præcipitia.* Quibus in verbis pulchrè ei convenit cum Clytemnestra apud Senecam; *Agamemn. v. 154.*

*Capienda rebus in malis præceps via est*

inquit: Utq; medici in desperatis morbis, ubi præter unam eamq; dubiam medicinam salutis ratio nulla est ancipiti potius illa jubent uti, quam prorsus nulla, & sic adversos periculis ire; ita Thucydidis sententiá: Rebus arctis, si aliter fieri non possit agentes aliquid vel periclitari oportet. Herodotus quoq; eleganter: μεγάλα πράγματα μεγάλοισι κινδύνοισι ἐθέλει καταιρέεσθαι. Atq; hoc quidem probè didicerat ex Cn. Scipionis disciplina L. Martius Septimii filius Eques Romanus, qui deleto ab exercitu Hispano utroq; Consule Romano eorundemq; copiis, collectis reliquis, non solum in hostem palantem fortiter pugnare ausus est, sed & altius consilium oppugnandi castra hostilia animosissimè suscepit, ad id exsequendum cum diffideret suo agmini; hac oratione aggressus est. *Scio audax consilium visum iri, quod animo deliberatum est meo: sed in rebus asperis & tenuibus fortissima quæque consilia rarissima sunt, quia si in occasionis momento, cuius prætervolat oportunitas cunctatus paulùm fueris, nequicquã mox amissam queraris.* Veris-

*Celsus & Galenus in Meth.*

*in Polymnia.*

*Liv. lib. 25.*

Verissimè tu fortissime Marti, & dignissime immortali memoria: alius longè Fabius Valẽs, de quo gravissimè, sed ex merito Tacitus. Fabius interim Valens multo ac molli concubinarum spadonumque agmine, segnius quam ad bellum incedens, proditam à Lucilio Basso Ravennatem classem, pernicibus nunciis accepit. Et si ceptum iter properasset, nutantem Cæcinam prævenire, aut ante discrimen pugnæ assequi legiones potuisset. Nec deerant qui monerent, ut cum fidissimis per occultos tramites, vitatâ Ravennâ Hostiliã, Cremonam ve pergeret. Aliis placebat accitis ex urbe prætorianis cohortib' valida manu perrumpere. Ipse inutili cũctatione agendi tempora consultando consumsit. *Mox utrumq; consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit.* Dignum notatu est, quod Macchiavellus disputat: Deliberationes, inquit, periculosę, quanto accuratius perpedunt, eo segnius constitui suscipiq; solent, inde evenire ut plurimum videmus, ut conjurationes, quibus conficiendis aliquid spatii intercedit, evulgent. Idem alibi dicterium Moseæ Lamberti laudat, qui multa põderando nihil concludi ajebat, triumq; adferebat proverbium: q res perpetrata caput haberet. Nostro & patrum nostrorum seculo mul-

lo multoties in hoc monitum peccatum est, & optimi quiq; Politici hunc Soloecismum Politicum impingunt quoq; Carolo V. imperatori famosissimo, qui cum hostem suum Franciscum Gallum in suâ potestate captivũ haberet Herennl. Pontl consilio neglecto, *Liv Dec.* l. 9. medium consilium sequutus est, cum satius fuisset alterutrum extremum sequi, & vel ita atterere eum, ut nocere non ultra potuisset, vel beneficiis illis devincire, quibus permotus noluisset ei nocere. Tractatio illa regia & sororis matrimoniũ, neq; annuũ carcerem, neq; iniquiores conditiones libertati additas ex animo Generosi regis delere potuere. Unde non exilibus eum molestiis postea nec semel affecit. Eidem culpæ affines censentur Protestãtium Duces in bello Smalkaldico, q in Norico *rerum dies*, ut loquitur Tacitus, *3. Hist. 1. 5.* *verbis terentes*, & media semper cõsilia agitantes, cum victoriam in manu habere prudentioribus crederentur, passi sunt auxiliares copias ê Belgio cum hostilibus coniungi. Plura in hanc partem dici possent de nobili illa & multis usurpata Neutralitate, Hic illud non possum dissimulare Media hæc consilia jam in Religionis quoq; negotio sese penetrare velle: Conciliare enim volunt quidam minus cauti Irenæi pugnantes sententias & medium invenire, in quo dissidentes vel in spe-

ciem

ciem adquiescant. Apage verò hos mediatores, quibus, si aures præbeantur, faxim brevi nulla sit religio, sed larva quædam & inane superstitiosæ plebeculæ terriculamentum: Ita autem Pax in terris & rebus publicis est constituenda, uti ne Deo & pietati bellum indicatur, *Scapha scapha dicenda est, ligo ligo, neq; in æternum Christus cum Beliale conveniet.*

## CAPUT V.

### *Quæstiones non de omni negotio instituendas esse.*

SCitum est Hippocratis: *Cruda non oportere moveri, quia nondum sint corpora præparata ad recipiendam contrariam Qualitatem.* Nam ut Ovidius ait; *Curando fieri quædã peiora videmus Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.*

3. de Pont. El. 7.

Unde rectè & ex Politicæ Prudentiæ scriniis Periander apud Herod: μὴ inquit ἴω κακὸν κακῷ. Hinc sapientissimi quique metu mamajoris mali pluriumve turbarum quæ oriri possent, sopivere multa etiam atrocia facinora ac velut oculis conniventibus transmisere. Id quod exemplis aliquot docere conabor. P Scipio Africanus Æmilianus, qui Carthagine deleta & Numantiâ excisa, soloq; æquata, alterius Romanos metu, alterius contumeliâ vindicavit, & ante quem nullus ullius gẽtis

tis hominum clariore urbium excidio nomẽ ſuum perpetuæ commendavit memoriæ, reverſus poſt Numantię exciſionem in Urbem, intra breve tempus, M. Aquilio, C. Sempronio Coſſ. poſt duos conſulatus duosq; Triumphos & bis exciſos terrores Reip. manẽ in lectulo repertus eſt mortuus, ita ut quædam eliſarum fauciũ in cervice reperirentur notæ. Addit Paterculus, ubi mortem narravit veluti mirabundus: De tanti viri morte nulla habita eſt quæſtio ejusq; corpus velato capite elatum, cuius opera ſuper totum terrarum orbem Roma extulerat caput. Sed furebat eo tempore Gracchana adhuc ſeditio, metusq; erat, ne queſtione inopportuna Camerina moveretur, & populi furor incenderetur, qui ob reſponſum à Scipione Tribuno Carboni datũ, nomen eius & memoriam oderat. Cautus item circa hoc negotium Vulpinâ pelle contectus Tiberius in falſo Agrippa, id quod eleganter narrat Hiſtoricus: Tiberius, inquit, pœnam eius palàm non auſus, in ſecreta palatii parte interfici iuſſit, corpusq; clam auferri: Et *quamquam multi è domo principis Equitesq; ac Senatores ſuſtentaſſe opibus, juviſſe conſiliis dicerentur, haut quæſitum.* Cauſas autem in præcedentibus narrat: Tum, inqt, crebreſcit vivere Agrippam occultis primum ſermonibus, ut vetita ſolent: mox vago ru- *Tacitus 2. Annal. c.39. & 40.*

more apud imperitissimi cuiusq; promptas aures, aut rursum apud turbidos, eòq; nova cupientes, Atq; ipse adire municipia obscuro diei, neq; propalàm aspici, neq; diutius iisdem locis, sed quia veritas visu & mora, falsa festinatione & incertis valescunt, relinquebat famam aut præveniebat. Vulgabatur interim per Italiam, servatum munere Deûm Agrippam, credebãt Romæ, jamq; Hostiam invectum multitudo ingens, jam in urbe clãdestini cœtus celebrabantur. Tum merito anceps cura Tiberium distrahere: vine militum servum suum coerceret (quod periculo carere non videbatur ad novũ Dominum defectionis) an inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret, modo nihil spernẽdum, modo non omnia metuenda, ambiguus pudoris ac metus reputabat. Adhibe huc Suetonium in Tiberio cap. 25: qui particulatim multa recenset, quorũ respectu Tiberius Lupum auribus se tenere dixerit. Fecit idem sed ex aliâ, ut puto, caussa Antoninus Pius Imp. de quo Capitolinus: Atilium Tatianum affectatæ Tyrannidis reum Senatu puniente vetuit conscios ab eo requiri, filio etiam ejus in omnibus semper adjuto. Verisimile est bonũ Imperatorem noluisse plures ad supplicium vocari, memor ejus, *Imperatorem non minus infamare multa supplicia atq; Medicum infamant*

*mul-*

*multa funera*. Addam his recentiora quædam Exempla: Anno sal. CIↃCCCCLVIII. cum Pragæ mortem obiisset Ladislaus Bohemiæ Rex Caroli IV. pronepos, Austria plena timoris culpam omnem in eos conferebat, quorum impulsu Rex Pragam ivisse, eumq; nuptiis locum destinasse credebatur. Itaq; cum per eosdem dies Udalricus Eizingerus à Cæsare Viennam rediisset, multorum conviciis impetitus est, quod Regem Pragam deduxisset, & Bohemis uti agnum mactandum objecisset. Has voculas populi Magistratus severè inhibuit, quæstionemq; super eâ re institui vetuit, non tam in gratiam Eizingeri, quam ne Bohemi irritarentur, quos pacatos sibi vicinos, quam infensos esse malebant. Quâ de caussa Octav. Farnesius Placentiæ & Parmæ Dux noluit inquiri in coniurationis contra se initæ conscios, ne plures sibi redderet inimicos, ut Auctor est Annibal Scotus. De Leonis X. Pontificis morte Jovius scribit. Fuere qui existimarent eum indito poculis veneno fuisse sublatum: nam cor eius atri livoris maculas ostendit, & lien prodigiosæ tenuitatis est repertus, quasi peculiaris & occulta veneni potestas totum id visceris exedisset. Ob id conjectus est in carcerem Barnabas Malaspina minister à poculis, non obscuro indicio, quod Leonem pridiè quam decumberet, in

*Æn. Sylv. Hist. Boiem. c. 71. Iacob. Piccolô. Cardinalis Papiensis eius æstuar. in vitâ Georgii Prodebrac I. & Gerardus de Rhoo Austriacæ Hist. scriptor.*

*Ad 2. lib. Taciti p. 150.*

*lib. 4. vitæ eius.*

cænâ poſt multum vini calicem ſtatim obducta & triſti fronte ab eo quæſiviſſe conſtabat, undenam ſibi adeo amarum & inſuave vinum propinaſſet. Adauxit quoq; patrati ſceleris ſuſpicionem, quod ipſe ſub auroram, cum ſeptima noctis horâ Pontifex expiraſſet, ſpecie venandi cum canibus Vaticanam portam exiviſſet, adeout â prætorianis uti fugitivus caperetur, admirantibus ſcilicet iis diſſolutum hominis ingenium, qui intempeſtivas absque ullo pudore quæreret voluptates, quum tota aula exſtincto beneficentiſſimo Domino in lachrymis & luctu verſaretur. Sed Julius Medices, cum è caſtris ad Comitia in Urbem eſt reverſus inſigni prudentia de veneno quæſtionem haberi vetuit, ne in nomen magni Principis alicuius inexpiabili cum invidia quæreretur. Hactenus Jovius. Quæ hactenus commemorata Exempla omnia monuere Magnum Britanniæ Regem, uti quæſtionem inſtitui vetaret de conſciis & complicibus nefariæ conjurationis contra ſe reginam & liberos initæ; anno ſal. MDCV. quam Sathanam ipſum exhorruiſſe veriſimile eſt.

CAPUT

## CAPUT VI.

### *Loca & tempora fatalia quibusdam fuisse notatum in Historiis.*

*in Camillo.*

Multis exemplis probat Plutarchus Dies quosdam fatales multis fuisse gentibus & populis, & exinde nefastos habitos. Nos ex Historiis quædam & loca & tempora ejus generis notata conjicimus, ut sit verior adsertio, & constet fides; de caussis cogitent Mathematici. Ac Romanis quidem, ut inde initium ducamus, XV. Kal. sextilis fatalis fuit, & Allia fluvius è Crustuminis montibus oriundus distans ab Urbe xc. stadia ut Plutarchus supputat, Livio abest ad undecimum lapidem. Diem quod attinet, eo in campo Cremeræ fluminis periere Vejentium prælio 306 Fabii. Magis enim est ut adsentiar Livio, Plutarcho, Tacito, quam Ovidio qui incidisse in Idus Februarias ait, cum canit. *circa Annum V. C. 274.*

*Hæc fuit illa dies, in qua Vejentibus armis*
*Tercentum Fabii ter cecidere duo.*

Eodem ad Alliam fluvium Romani profligati sunt à Gallis Senonibus, Romamq; venere victores, & excepto Capitolio tenuere menses septem: post à Manlio dejecti, à Camillo urbe exacti & deleti sunt. Hinc dies hic nefastus Romanis. Auctor Liv. lib. 6. Tũ de di- *Circa Anni V. C 36[illegible]. & seqq.*

de diebus religiosis agi ceptum, dumq; ad xv Cal. Sextiles duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam, cum exitio urbis fœdè pugnatum à posteriori clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publicè privatimq; agendæ fecerunt. Eadem habet Plutarchus in Camillo & Tacitus 2. Historiarum, qui posterior addit: funesti ominis loco acceptum esse, quod maximum Pontificatum adeptus Vitellius, de ceremoniis publicis xv. Cal. Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensiq; cladibus. Consentit Lucanus de Allia, *Et damnata diu Romanis Allia fastis.* Iisdem Romanis fatalisque bis sex. Februi fuit & infaustus, ut notat Macrob. 1 Saturnal. c. 13. & Ammian. Marcellinus l. 26. quâ de Valentiniano, bissextum inquit vitâs Februarij mẽsis quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognôrat infaustum. Verum omissis veteribus, quæ apud Plutarchum legas, quædam nostri orbis attingam. Magdeburgensis Historiæ scriptores testantur Urbi fatalem & proinde nefastum esse diem D. Mauricio sacrum & fluvium Orrhã, ad quem dicto die bis profligatus eius est exercitus, semel anno Christi MCCCL. ab Ottone Landgrafio Hassiæ & Ottone Archiepiscopo, & iterum MDL. â Georgio Mechelburgico, Bohemis dies Rufi

qui

qui incidit in 7. Cal. Oct. fatalis, quo periit Rex Ottocarus cæsus à Rudolpho Habsburgio, de quo Ottocaro Dubravius in hæc verba: *Dies qua tam inclytus ac Generosus Rex cecidit, Divo Ruffo celebris fuit. Ex hinc inter infandas infaustasq; à Bojemis habita.* Quæ opinio posthac confirmata est cæde Johannis Regis Bohemiæ, eadem die in prælio Britañico interfecti. Idem Dubravius cum describit occasum Ludovici Regis & cladem ad Mohazũ acceptam, Anno salutis MDXXVI. inter alia sic ait; *Non defuerunt qui diem D. Ruffi pugnæ Regũ Boiemiæ, ut ante diximus tristi omine infamẽ, necis Ludovici reum citarent.* Accepit hæc Dubravius ab Ænea Sylvio, qui in Hist. Bojem. idem docet, ubi agit de Johanne Bohemiæ Rege Caroli IV. patre. Memorabile porro est, qnod narrat Thuanus de clade Ioh. Friderici Saxonis capti in pugnâ ad Mulbergam â Carolo V. *Hic*, inquit, *exitus pugnæ fuit ad Mulbergam commissæ, cujus loci nomen Viris Principibus male ominosum semper fuisse à curiosis rerum Germanicarum observatum est*: Siquidem ad Mulbergam in Baioariâ Ludovicus IV. Imp. Fridericum Ducem Austriæ & Henricum fratrem Anno sal. CIↃCCCXXIII, Rupertus item Imperator centesimo circiter anno post Bernhardum Badensem Marchionem ad Mulbergam suprà Nemetes cepit. Carolo au-

*lib. 17. p. 143.*

*l. 33. p. 272.*

*lib. 4. Historiar.*

*lib. 2.* tem V. ut idem notat Thuanus, faustus fuit dies B. Matthiæ: si quidem eo primum Gandavi natus, postea ad Ticinum victor, deinceps Bononiæ à Clemente imperatoriam coronam suscepit, & Aquisgrani deinde fratrẽ in Regem Romanorum inaugurari curavit, deniq; Francofurti Anno 1558. per legatos Arausiensem, Heldũ & Hallerum, imperatoriam dignitatem eiuravit, & in Ferdinandum jus suum transtulit. Saxonicæ quoq; domui fatalis Mensis Aprilis & dies quidem ille, qui Misericordias Domini ex Psalmi initio appellatur. Eo enim die Johã Fridericus senior ad Mulbergam, & 20. annis post Joh. Fridericus filius Gotthæ capti sunt,

*VI. Cal. Mart.*

## CAPUT VII.

### *Multos astu ilocaliter aut levi negotio ad summas dignitates ac regna pervenisse.*

VEtus est verbum ap. Græcos μὴ κλαῖε καὶ λήψῃ: Noli flere & consequeris: quo docere voluerunt, multa quietis obtingere, quæ negentur affectantibus. Id pulcherrimè & verissimè de Gracchis Tiberio & Caio usurpavit Velleius Paterculus: Viri, inquit, optimis ingeniis malè usi, hunc tandem vitæ mortisque

*lib. 2. hist.*

que habuere exitum: qui si civilem dignitatis cōcupivissent modum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset Resp. Hoc autem verè à Græcis dictum ostendam aliquot Exemplis ex Historia veteri depromptis: pervenisse videlicet quamplures levi negotio, puta astu aut etiam jlocalariter ad summas dignitates & ipsa etiam regna. Initium autem à Semiramide faciam, quæ totius Asiæ imperium exceptâ Indiâ muliebri astu peperit, virtute diu tenuit. Historiam *lib. 2.* describit Diodorus Siculus ex Athenæo his verbis: Ἀθηναῖος, inquit, καὶ τίνες τῶν ἄλλων συγγραφέων φασὶν, αὐτὴν ἑταίραν γεγονέναι εὐπρεπῆ, καὶ διὰ τὸ κάλλος ἐρωτικῶς ἔχειν αὐτῆς τὸν βασιλέα τῶν Ἀσυρίων. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον μετρίας αὐτὴν ἀποδοχῆς τυγχάνειν ἐν τοῖς βασιλείοις, μετὰ δὲ ταῦτα γνησίαν ἀναγορευθεῖσαν γυναῖκα πεῖσαι τὸν βασιλέα πένθ' ἡμέρας παραχωρῆσαι αὐτῇ τῆς βασιλείας. Τὴν δὲ Σεμίραμιν ἀναλαβοῦσαν τότε σκῆπτρον καὶ τὴν βασίλειον στολὴν, κατὰ μὲν τὴν πρώτην ἡμέραν εὐωχίαν ποιῆσαι καὶ μεγαλοπρεπῆ δεῖπνα, ἐν οἷς τοὺς τῶν δυνάμεων ἡγεμόνας καὶ πάντας τοὺς ἐπιφανεστάτους πεῖσαι συμπράττειν ἑαυτῇ· τῇ δὲ ὑστεραίᾳ, τοῦ δὲ πλήθους καὶ τῶν ἀξιολογωτάτων ἀνδρῶν ὡς βασίλισσαν θεραπευόντων· τὸν μὲν ἄνδρα καταβαλεῖν εἰς τὴν εἱρκτὴν, αὐτὴν δὲ φύσει μεγαλεπίβολον οὖσαν, καὶ τολμηρὰν κατασχεῖν τὴν ἀρχήν. καὶ μέχρι γήρως βασιλεύσασαν πολλὰ καὶ μεγά-

*μεγάλα κατεργάσασθαι: h. eſt. Athenaeus & quidam alii ſcriptores aſſerunt, Semiramin hanc meretricem fuiſſe elegantis formæ & ob pulchritudinem ab Aſſyriorum rege adamatam: ac primum in mediocri Regis gratia poſitam, mox etiam legitimæ uxoris nomen conſecutam, perſuaſiſſe viro tradunt. ut per dies V. ſibi regno cederet. Sceptro igitur & ſtolâ regiâ potitam primâ die Epulum inſtituiſſe & cōvivia magnifica, in quibus copiarum ductores & nobiliſſimum quemq; ad obſequendum ſibi induxit: Poſtridiè cum iam vulgus & proceres illi, ut Regina, ad miniſteria præſto eſſent, virum in carcerem compegiſſe: Et quia ingenio ad res magnas apto eſſet & confidens, facile imperium occupaſſe, eoque ad ſenectutem usq; potitam, multorum & magnorum operum effectis claruiſſe.* Paulò aliter Muretus narrat Hiſtoriam ex Græcorum, ut ipſe ait, commentariis & diurnum ſolum petiiſſe imperium dicit atq; imperaſſe, aſtu autem & vafricie ex diurno ſibi diuturnum feciſſe, & ut Diodorus atteſtatur annorum XLII. Juſtinus ſpeciem viri & ſexum mentitam ad imperium perveniſſe ſcribit. Sed ad alios veniamus, De Regilliano videamus quæ narret Trebellius Pollio: Mirabile inquit videatur, ſi quæ origo huius imperii fuerit, declaretur; militari enim joco regna promeruit. Nam cum ducatum in Illyrico gerēs milites quosdam ſecum in cœnâ haberet, aſti-

*l. 6. Var. Lect. cap. 17.*

*in XXX Tyrann. n. IX.*

tit Valerianus Tribunus, qui diceret: Regilliani nomen unde credimus dictum? Alius continuo: Credimus quodà regno: tum is qui aderat Scholaſticus cepit quaſi grammaticaliter declinare Rex, Regis, Regi, Regillianus. Milites ut eſt hominum genus pronum ad ea, quæ cogitant, dixerunt. Ergo poteſt rex eſſe? item alius: Ergo poteſt nos regere; item alius: Deus tibi regis nomen impoſuit. Quid multa? his dictis quum alia die manè proceſſiſſet, á principib. imperator eſt ſalutatus. Ita, quod aliis vel audacia vel judicium, detulit, huic jocularis aſtutia. Non abſimili levitate militari Proculus ad imperium evectus. Nam ut ſcribit Flavius Vopiſcus hic quoq; ludo & ioco eò pervenit. Quum enim in quodam cõvivio ad latrunculos luderetur, atq; ipſe decies Imperator exiiſſet, quidam non ignobilis ſcurra, *Ave*, inquit, *Auguſte*. allatâq; lanâ purpurea, humeris eius junxit, eumq; adoravit, timor inde conſciorum, atq; inde iã exercitus tentatio & imperii. In hiſtoriâ præterea Anglicâ Gulielmi Malmesburienſis, quâ agit de Epiſcopis Lindisfarnenſibus & Dunelmenſibus reperi Exemplum Epiſcopi per iocum electi: Defuncto, inquit, Aldulmo Antiſtite, clerici conſedere de futuri rectoris electione conſultaturi: In ea conſulatione; cum ut fieri amat, non idem omnes ſentirẽt,

*in eius vitâ.*

ſed

sed votis ac suffragiis variarent. Eadmundus Clericorum infimus, quem nullus ad deliberandum vocaverat, vocandumve putaverat, cunctantib' superveniens, consuetaq; usus facetiâ: Quid dubitatis inquit, me accipite Episcopum: illi omnes quasi divinitus accensis spiritibus, stupentem & dicti pœnitentem (utpote qui mallet lusum pilæ, quam usum cuculli) Episcopum fecere & ab Rege Ethelredo vel Egelredo confirmari petierunt: Concludit Historicus: Omine felici fuit hæc prælusio facta.

Regis enim, quod petebatur, Serenitas annuit & divinitas propitia, ꝙ sperabatur, implevit: sub eo enim præsule multum in modum Ecclesiæ promovit prosperitas. Ridiculum est, quod narrat Bonfinius in Rebus Ungaricis de S. Germano. Quum, inquit, in Britanniâ publicè prædicaret, vesaniente frigore, cum discipulis in regiam aufugit gratũ ibi hospitium imploraturus. Quod cum per Interpretem à Rege impio denegatum impetrare nequivisset, subdioq; in algentissima regione pernoctare cogeretur: Ecce subulcus regius advenit, & venerabilem virum cum sacrâ manu conspicatus, eorumq; miseratus algorem, ad tugurium invitat, & pro modulo facultatum reficit ac pascit. Inde Germanus ad Regem reversus, eum regno decedere melio-

*Decad. 1. l. 4. extrem. p. 72.*

liorū; tradere jubet: ha sitantem verò eum & cunctātem, neq; in sacrosanctum patrem aliquid ultrà moliri audentem, manu depulit. Decede inquiens, nec potestate regia posthac amplius abutare. Rex cœlestem in præsule auctoritatem reformidans, cum uxore liberisque spectante populo decessit. At ei Germanus accitum mox subulcum cum conjuge suffecit, & ex ea deinde tempestate, è subulcâ gente sunt ibi creati reges. Hæc Bonfinius, fides penes auctorem esto. Non dicam hic quo modo Maximus Pupienus fabri ferrarii filius; Marius, Faber ferrarius ipse ad imperiū pervenerint: Militaris enim levitas cum potentia conjuncta quid tum non potuit? Procopium Zosimus Scenicum Regem appellat; ὥσπερ ἀπὸ σκηνῆς βασιλέα χεδιασθέντα, quod subito regnum consecutus esset.

## CAPUT VIII.

### *Potentiorum partus & hæredes agnatis suspectos sæpe fuisse.*

CUm Henricus Imperator Federici Barbarossæ filius consentientissimi Electorum suffragiis Patri successisset, Electionem illā usurpatitio jure Cœlestinus I I. Papa ratam habuit hisce conditionibus, ut Ecclesiæ restitueret, quæ ad illam pertinebant, deinde *Anno. Sal. cIↃ cxc.*

inde utriusq; Siciliæ regnum suis sumtibus, sed ceu feudum Ecclesiæ occuparet. Atque isthoc quidem, ut meliori occasione facere posset, Panhormitani Archiepiscopi operâ Constantiam filiam Rogerii V. qui ex Rogerio III. Guilielmi Boni avo natus erat, clācu- lum ex monasterio S. Mariæ Panhormitanæ ubi Abbatissa erat & annos jam L. nata & ad liberos procreādos prope inepta habebatur, evocandam curavit & Romam deductam Hērico desponsavit. Ex quo Constantia inde gravida & Henricum in Germaniam secutura, sed turbis in Jtalia obortis, in Piceno subsistere jussa, cum partui vicina esset, in Esiorum urbe, in qua tunc erat, filium peperit Anno sal. MCVIC. eumq; paterni avi nomine Federicum appellavit. Et quoniam ætate provecta iam annum quinquagesimum superabat, vix credebatur verè concepisse: Qua de re Henricus ipse primū omnium suspicatus fuerat, unde eâ de caussa Joachimum Abbatē virum vitæ sanctimonia & prophetici spiritus famâ celebrem consuluit, qui, quod res erat, confirmavit. Hoc animadvertens Constantia prudentissima fœmina, cum partus horam vicinam esse cognosceret, expandere in Esiorum urbis foro tentorium curavit & illic pariens, potestatem fecit omnibus nobilibus viris atq; matronis ad sese veniendi & partum hunc

*Facellus Dec post. rer. Sic. l. 8 c. 3 Giezi Appuliæ urbē appellat, quē vi-e, nos sequimur Collenutium.*

hunc conspiciendi, ne deinceps quisquã sup-
posititium eum fuisse suspicaretur, finitoque
puerperio Caietam se contulit. Nec effugere
tamẽ vel sic calumniam potuit. Cum.n. defũ-
ctis Parentibus Fridericus hic II. Siciliæ Rex
à matre declaratus esset, & fidei Innocentii
III. Pontificis commissus, Marquardus An-
conæ Marchio auro Innocentium corrum-
pere studuit, oblatis vicies mille auri unciis si
Siciliã invadere Marquardo permitteret, ad-
dens testibus se docturum, Fridericum nõ ex
Henrico & Constantia sed supposititio par-
tu natum esse. Parũ discrepat ab hac historia,
ea quam narrat Kranzius. Temporib' inquit
Sigismundi Imp. Gerhardus Dux Slesvicen- Saxon. lib. XC. XXI.
sis frater Adolphi, cum coniugem accepisset
de domo Badensi nuptiis in patriâ spõsæ per-
actis, secum eam in Holsatiam prægnantem
abduxit. In eo itinere gravi quodam lapsu
partum properavit, & ad duos circiter menses
legitimum pariendi tempus præveniens pe-
perit gemellos, puerum ac puellam. Infantes
cum nihil imperfectũ aut præmaturum præ-
ferrent, cepere male loqui maligni, quasi non
ex Duce Badensis concepisset, sed priusquam
illi iungeretur prægnans iam fuisset. Quæ res
perlata ad Adolphum fratrem, & à susurro-
nibus aulicis in maius aucta, fecit, ut ille & fœ-
minas prudentes rerũq; muliebrium peritas
& Me-

& Medicos quoque ac Phyſicos convocaret, quarum indicio conſpecti parvuli, conſideratis diligentiſſimè circumſtantiis, Gerhardo patri ab omnibus adiudicantur: omniumque tũ judicio defenſa eſt matronæ caſtiſſimę (cui Annæ nomen) pudicitia. Prævaluere tamen apud Adolphum ſycophantarum morſus, & eo quidem usque, ut indignationem Adolphi invaleſcentem verita miſerrima fœmina cedere malis & in patriam redire ſtatuerit. Secutus abeuntem confectus ægrimonia maritus, ut revocaret. in itinere deficiens mortuus eſt in oppido Emmerik ad Rheni ripam. Parvuli mox à patruo ſeparantur, & puella quidem detruſa in monaſterium eſt, extra patriam puer interiit, quem ſerò nimis Adolphus poſtea inſolabiliter luxit, neq; enim ſui corporis hæredem umquã poſtea meruit, qui inviderat fraterno, quamvis conjugem haberet egregiam fœminam, ſororem Comitis de Honſtein & Mansfeldiâ. Hæc Kranzius. Conferri lubet cum hac, Hiſtoriam de Ariſtorce Lacedæmoniorum Rege apud Herodotum Muſâ VI. qui Demaratum ſeptimeſtrem partum agnoſcere itidem recuſavit apud Ephoros, matrem verò juramento affirmaſſe. Verum de ſeptimeſtri partu & in legitimis agnoſcendis liberis obſervando tempore vide Hippocratem & Medicos

cos item ICtos inprimis Paulum *l. 12. ff. de statu Hominis, Vlpianum l. Gallus ff. de lib. & posthum. & doctores.* Addam vero huic materiæ & tertium de posthumo partu ex Historiis Veteris Misniæ. Henricus Senior Marchio Misniæ, cum moreretur año sal: MCVI. gravidã reliquit uxorem, quod cum publicè ignoraretur, fassa ipsa est propinquis in sepulturâ Mariti. Quod ægre ferentes Cunradi, filii Dedonis, amici, ad quem moriente sine masculis Henrico provincia devolvebatur, insimularunt viduam falsi & doli. Quod cum ipsa comperisset, demortui Principis & mariti cognatos ac propinquos ad se vocavit, quibus præsentibus, vestibus ipsa, quantum honestè licebat, nudatis tumescentem uterum, & quod verè prægnans esset, ostendit, testeisq; suæ innocentiæ vocavit. Paulò post, partu maturo, enixa est filium, quo comperto iidem adulatores Cunrado persuadere conati sunt, filium illum supposititium esse, coquo genitum, matriq; ereptum nunc supponi à principe vidua uti Domina regionum maneret. Facile id fuit cupido hæreditatis fraternæ Conrado instillare, atq; eo quidem virus illud usque hæsit, ut hic Cunradus natum ex vidua Henricum aliquãdo per cõtumeliam coqui filium appellaret. Qua injuriâ irritatus Henricus, bello patruum aggressus vicit & captivum duxit

duxit. Luit ita pœnas improbæ dicacitatis Cunradus, post tamẽ Henrico eo anno mortuo sine liberis, hic idem Cunradus beneficio & indultu Lotharij Imp. successit ipsi in omnibus Provinciis.

*Anno sal. MCXXVI.*

## CAPUT IX.

### *Religionis mysteriis etiã ad scelera abusa hominũ improbitas quandoq;.*

DUo Novi fœderis institutor Christus verbo suo sigilla admovit, quibus fides hominum cõfirmaretur, & adversus infernales impetus sese sustentaret: Unde venerari illa fas piumq; foret, & Dei nostri benignitatem revereri ac pleno ore deprædicare: Verũ vide quo furor prolabatur hominum! quę saluti servire debebant, sceleribus ancillari væcordia cogit, Ac de fonte q̧dem sacrosancto Baptismatis, quo Servator etiam ipse initiari voluit, ut dicam, detestare mecum lector scelus quod narrabo. Narrabo autem verbis nõ meis sed Æneæ Sylvii scriptoris, quem nemo, quod sciam, repudiabit. Ita igitur ille: *Bononia, quæ non tam studiorum mater, quam seditionum altrix appellari potest, soror & ipsa Genuæ civitatis, ac solius incostantiæ constans, cum factionem Lambecariam non sine cæde, multosq; cives domo pepulisset, Comum Cinctulorum* (Nicolaus Machia-

chiavellus l. 6. Hist. Flor. p. 305. Caneschios nominat) *Consilio regi cepit. Principes factionum Baptista Cinetulus & Hannibal Bentivolus fuere, ambo sanguinarii, ambo patratis cædibus insignes, qui licet simul compatratus, quem vocant, sacramento juncti essent, nihilo tamen inter se meliores fuere. Nam Hannibal levato de sacro fonte Baptistæ filio visurus puerperam compatrem sequitur, eiq; manu prensô pro novo nato gratulatur, interim ab irruentibus ex improvisô Baptistæ satellitibus obtruncatur, ut manifestè apparuerit, Baptismi sacramentum non tam fœderis retinendi, quam cædis patrandæ caussa à Baptistâ quæsitum fuisse. Sed non inulta mors Hannibalis fuit: Nam qui partes eius sequebantur sumptis paulò post armis fugatisq; adversariis plateam obtinuere: Baptista indicio tandem puerili in specu quodam subterraneo cum plerisq; suis complicibus latitans repertus & fumo compulsus exire mox pluribus vulneribus confossus est. Cadaver ejus in forum tractum & diu ludibrio habitum, cum pleriq; more ferarum cor ejus dentibus laniassent, cruoremq; bibere non horruissent, tandem exustum est.* Hæc Sylvius. Non meliori conditione fuit alterum sacramentum Eucharistiæ, de quo verba Joh. Naucleri testis item minimè suspecti recognoscite. *Henricus*, inquit, *VII. Imp. arripiens iter versus Appuliam, venit in castrum, quod dicitur Bonconventum in vigiliâ assum-* Gen. 44. fol. 246.

 tionis

*tionis Mariæ virginis, ubi propter festi sollennitatē, illâ die quievit. Disposuerat autem se per aliquot dies jejunio ac bonis operibus intendens Sacramentum Christi corporis ac sanguinis in festo sumere. Ea autem die forte Episcopus Tridentinus confessor suus & Vicecancellarius aberat, missus ad Clementem V. Pontificem. Unde quidam Iacobinus de Ordine B. Dominici (subornatus ut ajunt præmiis & pollicationibus nec sine suspicione Florentinorum) qui tum coram Imperatore celebrabat, venenum ei sub specie Sacramenti dedit, vertens calicem vitæ in calicem mortis. Sensit mox Imperator mortem adesse, fertur tamen dixisse completâ Missa, O Domine, recedatis: nam si percipient nostri devoti malum, quod nobis fecistis, morte miserabili moriemini, DEUS vobis ignoscat. Superante autem morbo eodem in loco è vitâ migravit, ejusq; corpus magno suorum luctu Pisas relatum & ibi in tumbâ argenteâ super quatuor columnis fixâ præciosissimè existit sepultum cum obsequiis regalibus:* Subjungit autē mox Nauclerus ridicula ironiâ: *Dicitur tamē Ordo prædicatorum ibidem habere literas testantes fratrem prædictum fuisse innocentem & totum hoc esse confictum. Sed fortean legibiles amplius illæ literæ non sunt.* Certè præter Nauclerum narrant Historiam hanc Johannes Fontanus in vita Joh. XXII. in Proœmio extravagantium ejus & Genebrardus. Monachus hic nominatur ab aliis Bernhardus à monte Politiano, & dicitur

citur perpetrato hoc parricidio Senas profugiſſe & aurum mercedem impietatis ibidem à Guelphis accepiſſe: plurimos autem ob hoc factum Dominicanos in Thuſciâ, Lombardiâ & aliis locis una cum clauſtris ſuis igne gladiove periiſſe. Et quomodo Cæſari parcant, qui Pontifici non pepercerunt ſuo? Victorē enim III. veneno in calicem injecto ē vivo Divum feciſſe ſubdiaconum eius ſcribunt Hermañus Contractus, Carſulanus Præmōſtratenſis, Platina & alii, quamquam hic Vincentii teſtimonio elidere nititur aliorum fidem: ſi tamen inſpicias propius, frigidè id facit & magis negando quam probãdo. Vincētius inquit Dyſenteriâ eum interiiſſe ſcribit: Dabo, inquit, ſed & veneno potuit peri, quod dyſenteriam provocaret, nihil enim id abſurdi eſt apud Medicorum filios. Neq; verò profanationem illam Sacroſancti myſterii probare quoq; poſſum, quã in fœderibus iciendis adhibere quidam auſi. Exemplum refert Lambertus Schafnaburgenſis: Anno inquit MCCCXXIV. Ludovicus Cæſar & Fridericus Auſtriacus fœdus inter ſe pacti ut firmius intercederet pacis ac fœderis vinculũ, uterque de eadem Euchariſtiæ hoſtiâ participarunt & pacis oſculo fraternitatem inter ſe ſanciverunt: Quam Hiſtoriam narrat quoq; Gerardꝰ de Rhoo lib. 10. Hiſt. Auſtriacę p. 95.

Fecit hoc ante Henricus 4. & Paschalis pontifex auctore Sigeberto. Fecit Julius pontifex in fœdere cum Cæsare & Gallo apud Cameracum Belgii oppidum icto, qui hostiam in tres partes divisit addito dicto parũ Christiano, *ut sacrosancta Trinitas unus sit Deus, ita duraturam inter confœderatos tres unionem*. Verum mox primus ipse resiluit, ut historiæ loquuntur.

## CAPUT X.

### *Fidei coniugalis Exempla nobiliora.*

PAnthia Abradatæ uxor, inqt, Zonaras ex 7. Xenophontis, cum capta à Cyro humanissimè habita esset, marito persuasit, ut Cyrũ deinceps sequeretur qui uxori morem gessit. Hæc postea in prælio Cyri adversus Crœsum forte Ægyptiis opponendus, primum ab uxore galea aurea exornatur, armillis item & veste purpurea usq; ad talos demissa & cono hyacynthini coloris, quæ ipsa ei fecerat suis ornamentis conflatis, quod maritum sibi maximũ ornamentum esse diceret. Dumq; ei arma indueret, etsi lachrymas dissimulare studebat, tamem imperare naturæ non potuit, per genas enim manabant, jamq; conscenso currum cæteris discedere jussis: *Abradata*, inquit, *te vita mea anteponi à me nosti*, ta-

*Tom 1. Annal. p 21. ac Pædia Cyri.*

*tamen mutuum amorem testor, malle me si te virum fortem prabueris, eadem tecum terra tegi, quam ignominiosum cum ignominioso vivere. Abradates autem in eo pralio periit, cuius rei fama cum ad Panthiam pervenisset, ad locum pralii progressa,* jacenti marito adsedit, frustra solatiis avocãte Cyro. Quo recedente, tribus, quibus comitata erat Eunuchis secedere jussis, nutrici mãdat, ut se mortuam eadem cum marito veste tegat, qua plorante, seipsam jugulat & capite pectori mariti imposito, moritur, quo facto, nutrix sublata voce lamentatur, tres autem Eunuchi dominæ cæde cognitâ strictis gladiis & ipsi sese perimunt. Cyrus, cognitâ cæde, mulierem deplorat admirabundus, ac ingenti tumulo excitato, magnificè & ipsam & maritum sepelit. Paullo aliter & fusius Xenophon, sed huic scopo hæc sufficiant. Non levior fides fuit in Eduardum Anglum uxoris, quam describit & dilaudat Roderic. Santius: Cum inquit Eduardus regis Angliæ primogenitus ad Domini sepulchrũ transfretasset, fuissetq; in viâ proditoriè à Mauro quodàm gladio venenato percussus, medicorumq; remediis non tam allevaretur, quam alligaretur, tandem in Angliã sine salutis spe reversus est. Eius igitur uxor Regis Hispaniæ filia novam atq; inauditam, sed amore & pietate plenã adhibuit medicinã


*p.1. Hist. Hisp. p.297. c.4.*

plagas enim mariti toxico infectas, quę veneni vi claudi non poterant, linguâ dietim lingebat sugebatq; humorem venenosum, ut liquorem dulcissimum, cuius vigore, verius dicam fidei uxoriæ virtute sic omnem materiem veneni attraxit, ut integratis coalitisq; vulnerum cicatricibus ille plenè curatus fuerit, ipsa incolumi etiam manente. Quid huius mulieris fide rarius, quid mirabilius audiri potest? ut uxoris lingua fide & dilectione maritali peruncta, venena â dilecto marito expulerit, quæ ab electo Medico trahi non valuerunt, & quod plurima exquisitaq; non effecerunt medicamēta una uxoris pietas explevit. Sed veniamus ad tertiam, quæ de palmâ cum his duabus itidem certat. Eam nobis describit Joha. Vasæus his verbis: Tarasia Regina Legionensis Sancti Avarrę Regis Navarræ filia capitaliter oderat Comitem Castellæ ob occisum ab ipso patrem, vindictæq; cupida per speciem benivolentiæ persuasit illi, ut Sanctiam Garsiæ Tremuli filiam neptem ex fratre suam, uxorem duceret. Quod conjugium cum Comiti haud aspernandum videretur, illi fratrem Garsiam Regem Navarræ clam hortata est, ne occasioni ulciscendæ mortis paternæ deesset, comitemq; ad se petitum sponsam venientem elabi pateretur. Paruit consiliis sororis Garsias, comitemq; con-


*[illegible] Chronico [illegible] sub anno Dni. [illegible]XII.*

tra fidem datam duriter in vinculis habuit. Quod cum Sanctia Comiti ſuâ cauſsâ accidiſſe cognovit, oblita ſui ſexus ac dignitatis, animo plusquam virili ſumto, acceptaq; conjugii fide, Comitem carcere eductum in Caſtellam magno ſuo periculo ſecutâ & matrimonio juncta, memorabile in omne ævum amoris ac fidei coniugalis exemplum fuit. Paullo pòſt anno ſal. CMXXXVI. Comes Caſtellæ vocatur à Legionenſi Rege ad Comitia, qui tametſi fraudem præſagiret, tamen potiorẽ fidei ſuæ quam ſalutis rationem ducens, ſeptem tantum comitatus equitibus eò profectus eſt. Quod cum perveniſſet, nihil eum eventus fefellit; ſtatim enim in vincula ductus eſt. Quod ubi uxori eſt nunciatum, maritum quoquo modo liberare ſtatuit. Peregrinantis igitur induta perſonam, Compoſtellam proficiſci religionis ergò fingit, factoq; per Legionem itinere, primùm copiam videndi ſibi mariti fieri poſtulavit, deinde petiit, ut ea ſolum nocte ſine catenis eſſet. Rex per omnia ſatisfaciendum voluntati tantæ matronæ duxit: At illa poſtridie antelucano mutatis cum marito veſtibus vicaria captivitate illum liberavit. Cumq; comitem jam in tuto eſſe arbitraretur, Regi nunciat ſe in carcere teneri, rogare ut ſolveret, neq; durius quidquam in feminam Regiam & cognatam

ſuam conſuleret. Rex ubi dolū ſenſit, ſtomachari primum, mox admirari conſtantiam & virtutem Sanctiæ: poſtremo laudata illius in maritum pietate, cum honorifico comitatu juſſit ad Maritum Comitem reduci. Judicet jam æquus Lector, cui ex his tribus palmam tribuendam putet, mihi veteri Romanorum formula N. L.



DECA-





# DECADIS VI.

## CAPUT I.

### *Maieſtatem Principis ſæpius improborum conatus impedire.*



NOn ſine affectu eoq; vehementi legere potui Ferdinandi II. Arragonii fugam è regno ſuo Neapolitano in inſulam Ænariam, hodie Iſchiam dictam. Hoc tamen animum veluti ad alia vocavit, quod ſcribit Hiſtoricus, Regem in arcem uno tantum comitatum admiſſum, ſeſe in Præfectum perfidum tanto impetu conjeciſſe, ut & ferocitate & regiæ Maieſtatis recordatione ſic omnes perterrefecerit, ut è veſtigio tum Præfectum ipſum, tum arcem in ſuam redigeret poteſtatem. Statim enim ea parte hiſtoriæ lecta, mihi in mentem venit ſæpius improborum conatus Maieſtate relucente è Principum vultu irritos, certè impeditos & retardatos fuiſſe. Scribit ex Plutarcho & Appiano Valerius Max. de C. Mario in hunc ſenſum: C. Marius, inquit, in profundũ ulti-

ultimarum miseriarum abiectus ex ipso vitæ discrimine beneficio Maiestatis emersit. Missus enim ad eum occidendum in privata domo Minturnis clausum Servus publicus natione Cimber: & senem & inermem & squalore obsitum strictum gladium tenens aggredi non sustinuit: sed claritate viri occœcatus abjecto ferro attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit, devictæq; suę gentis interitus animum eius comminuit, etiam Diis immortalibus indignum ratis ab uno eius nationis interfici Marium, quam ipse totam deleverat. Minturnēses autem illius maiestate capti compressum jam & constrictum dira fati necessitate incolumem præstiterunt. Quò pertinet quod Tacitus de Agrippa narrat. Tiberii principatus novi primum facinus
1 *Annal.* fuit posthumi Agrippę cædes, quem ignarum inermemque quamvis firmatus animo centurio ægrè confecit. Quę verba Annibal Scotus non tam ad robur Agrippæ referenda cēset, quàm ad hanc è vultu relucentem Maiestatem. Item Scotus Alphonsum Estensem I. Ferrariensium Ducem sæpissimè couiuratos suos majestate vultus frustratum esse commemorat. Historiæ Gallicæ Scriptor nobilis Paulus Æmilius de Divo Ludovico scribit: Eum irruentibus impiis Sultani ministris
quam-

quamvis decumbentem majeſtate tamen regia atq; oris & vultus dignitate furorem eorum cohibuiſſe, hoc videlicet, Majeſtas poteſt, de cuius natura vide quæ eruditè diſputavit eruditiſſ. Caſaubon. ad Trebell. Pollionẽ in Gallienis. Eſtq; hæc Majeſtas Deorum donum Principibus conceſſum, quo ſubditi probiores ad parendum excitentur, improbi à nocendo deterreantur, eſtq; Maieſtas nihil aliud, quàm divinæ gloriæ participatio, qua Deus præſides ſuos majores omnibus conſtituit. Id quod agnovit omnium optimè Trajanus, quem ſcribit Plinius, majeſtatem repudiaſſe, ne Deo ſe æqualem faceret, contentũ magnitudine fuiſſe. Inde poſtea non contenta majeſtate ſervilis adulatio numinis quoque titulum Principibus adſignavit, ut quibus majeſtas eſſet, ij Dij quoq; dicerẽtur. Voces etiam Principum cœpere oracula dici, nõ reſcripta aut decreta; atq; hæc ſemper crevere. Sed ut ad materiam noſtram regrediamur, noſtrum quoq; ſeculum non raro majeſtatis huius cohibentis parricidia dedit exempla. De Jocobo I. magnæ Britanniæ rege adcepimus eum ſola majeſtatis prærogativa ita aliquot ſicarios terruiſſe, ut nõ ſolum par viribus poſtea ipſis fuerit, ſed & in fugam cõiecerit, iuſto etiam ſupplicio tandem è medio ſuſtulerit. In Eliſabetham Anglam conjura-

ctiones quot maieſtate eius impeditæ ſunt? quot in Henricum Magnum, qui tamen tandem ſubcubuit ſceleratiſſimi ſicarii cultro? Verum ut Majeſtas multis ſaluti fuit: Ita non paucioribus vultus ſerenitas & comitas. De Auguſto Suetonius ſcribit: Vultu erat adeo tranquillo ſerenoque, ut quidam è primoribus Gallorum confeſſus ſit inter ſuos, eo ſe inhibitum ac remollitum, quo minus, ut deſtinarat in tranſitu alpium, per ſimulationem colloquii propius admiſſus, in præcipitium propelleret. Non minori moderatione animi fuit miles Turcicus, qui Bajazethis filium juſſu avi Solimanni necare per Eunuchum inductus fuerat, quam Hiſtoriam ita deſcribit Nobiliſſ. & rerum Turcicarum peritiſſimus Busbequius: Solimannus, inquit, ubi cognovit de Bajazethe actũ, Eunuchum cui fi-

*Epiſt. 4.* debat Pruſam miſit, ut minimũ quoq; natu Bajazethis filium, (aliorum enim iam idem quod patris miſerrimi fatum fuerat) interficeret. Sed cum Eunuchus eſſet teneriore animo; ſibi de numero Janitorum quendam adſciverat obfirmati ad quodvis facinus animi, cuius operâ puerum extingueret. Is cubile ingreſſus, cum collo puerili laqueum aptaret, infans ei arridens, ſeq;, quod poterat extollens, apertis ulnis complecti & ferre oſculum conabatur: quæ res ferum alioqui homi-

nem

nem sic commovit, ut ferre nõ posset, animaque defectus concideret. Moram admiratus Eunuchus, qui foris adstabat, eodem se infert, janitorem in solo stratum offendit, tum ne suscepto muneri deesset, suis manibus insontis pueruli animam elisit. Alia exempla ab aliis allata legas suo loco & tempore.

## CAPUT II.

### *Stratagema quoddam politicum Machiavelli illustratum.*

ELegans & eruditum est monitum Nicolai Machiavelli, quo vetat, Urbem aut remp. aliquam intestinis dissidiis laborantem invadere, spe eiusdem potiundæ propter dissidia, quia communi periculo animadverso soleant coire rursum animis atq; communi cladi remedium adferre. Probat id Veientium atq; Hetruscorum exemplo, quibus, Romanam remp. in studia factionesq; scissã adorti, nimio constitit, nam ea ratione Romanos in concordiam redegerunt, ipsi verò fusi fugatiq; sunt. Subjungit & deinde Philippi Vicecomitis Mediolani Ducis serã pœnitentiam qui Florentinos ex eadem caussa aggressus, spe verò itidem ut Vejentes, frustratus sæpè questus apud amicos est, se ineptiis Florentinorum eò adductum, ut vicies cẽtena mi-

*Vid. Alb. Kranzium in Saxoniá. lib. xi. c. 19. qui ab hoc Philippo Sigis*

*mundũ Imp. in Italiam e- ..catũ ſcri- bis eamdem ob cauſſam.*

na millia aureorum numûm fruſtra expenderit. Quæ omnia ut veriſſimè Machiavellus, ita prudentiſſimè ea quoq; vidit Scorio Dacorum dux. Is cũ à ſubditis ſuis laceſſeretur, uti populum Romanũ civilibus odiis laborantem armis infeſtaret, nunquam adduci potuit, ut voluntati eorum morem gereret. Stultitiam autem populi ſui eleganti commento redarguit. Cum enim urgendi arma finem ille facere nollet, convocato eo, canes geminos in medio eius exacerbatos ad pugnã commiſit, quibus efferatis prorſus lupum de ſubito immiſit, quo canes viſo, repreſſa ſtatim ira communem hoſtem acerrimè invadentes confecere, addiditq; hæc Scorio: Videtis parum providi, quò arma noſtra evaſura ſint, ut videlicet in gratiã hoſtes noſtros reducamus & cladem nobis ipſis acceleremus. Ut verò hæc cordatè dicta ſunt, ita ſubtile non minus commentum eſt illud Machiavelli, quod ſuccedaneum ſtultitiæ ſuperiorũ propoſuit, alenda videlicet eſſe diſſidia, & interponendum ſeſe eſſe tanquam arbitrum, donec utrinque ad arma perveniatur.

Quò poſtquam deventum fuerit, parti debiliori ſubveniendum, ſed lentis auxiliis, ut mutuò ſeſe partes diſcordantes conficiant. Sic enim futurũ, ut, feſſæ tandem partes bellorum, ſeſe arbitrio permittant eius, qui diſſi-

dia

dia prudenter aluit. Id consilium si cautè suscipiatur & non deprehendatur effectu suo carere vix potest. Sed facilis est in errorem prolapsus, ut non solum Philippi Mediolanensis exemplum docuit, sed & Friderici II. Imperatoris, cuius verba, ut ea recenset Vbertus Folieta, apponam. Innocentium, ante Pontificatum adeptum, in familiari consuetudine, latrunculis mecum ludentem, ad eam necessitaterm semper adigebam, ut aut illius regem captivum facerem, aut Reginam adimerem: nunc eodem Pontifice ad eamdē ludi fortunam à me adacto, Genuenses ex transverso venientes, abaco everso, spes meas frustrati sunt. Quæ Oratio Friderici huc spectabat. Erat Fridericus II. Imperator Ecclesiæ Romanæ parum æquus, certè parum gratus; multa enim Imperii jure sibi vendicabat, quæ Romani Præsules inviti dimittebant. Inter Cardinales eo tempore erat Sinibaldus Eliseus, civis Genuensis, è nobili Comitum Lavaniæ stirpe ortus, cum quo Friderico Imperatori arctæ amicitiæ ac multorum utriusq; officiorum necessitudo intercedebat. Is anno Salutis 1243. cum unum & viginti menses Christus in terris Vicarium nō habuisset, Pontifex Romanus declaratus est, assumpto nomine Innocetii IV. Vir insigni pietate & prudentiâ, eximiâq; doctrinâ. &

quamvis mansueti ingenii acer tamen dignitatis Pontificiæ vindex & impavidi ad omnes terrores animi. Eum multis de caussis suspectabat Cesar, maximè autem duabus, quarum una metus, ut repeteret Pontifex, quæ Cæsar tenebat, altera robur Pontificis, propter studia præpotentis Reipubl. Genuensium in civem suum. Neq; hoc dissimulabat Cæsar: gratulantibus enim amicis, quod amico Pontifice usurus esset, cum quo diuturna consuetudo ipsi fuisset, tristius responsum dedit: dolendum potius sibi, quam lætandum, amico Cardinali cum inimico Pontifice commutato. Vt igitur Pontificem in potestate sua retineret, Genuenses opprimendos aut solum atterendos omnibus modis statuit. Itaq; cum Genuensibus tum cum Exulibus suis, quos Mascaratos Historiæ appellant, & Saonensibus res esset, hos ita fovit juvitq;, multis vicinis inprimis Pisanis adversos eos incitatis, & amicis ab ipsis abstractis, & totâ Liguria in partes divisâ, ut certo futurum sibi promitteret, uti tandem fessi bellis aut mutuis cladibus attriti, jugum suũ patienter ferrent: Id quod Prudens ille quem dixi Historicus his verbis eloquitur: Ita anno per fallacias hostis insidiantis & occasiones captantis, ac bellum ludificantis verius quam gerentis, sine ullo operæ pretio extracto tãti

utrim-

utrimq; apparatus inanes evaserunt. Cujus rei caussam mihi diu quærẽti, illa veniebat in mentẽ: Fridericũ Ducib' suis de fortuna pugnæ tentanda, classeq; sua in præcipitem casum illi danda enixè interdixisse: sive fore speraret, ut Genuẽses tædio belli ac laborum & inpendiorum satietate fessi, quibus diu pares esse non possent, tamdem ipsi per se, sine ullo discrimine rerum ipsius Friderici caderent, sive illud veteratores atque ad omnem fraudem & fallaciam compositi ingenii fuerit consilium: ut bellum diu extrahendo utriusque prævalentis populi (Pisanos intelligit, qui se exsulibus Mascaratis etiam junxerant & Genuenses) vires assiduis cladibus & detrimentis conficeret, quos enervatos & exsangues omni libertatis specie ademta ad necessitatẽ jugi capiendi tamdem subigeret. Idem consiliũ frustra habuit Corsum Donatum apud Florentinos, de quo Machiavellus. Erat añus salutis MCCCIV. mensisq; Julius, quo Florentia tam ignibus quam armis miserè interibat. In tantâ verò patriæ clade solus Corsus arma neglexit, quod nimirum speraret, ea ratione arbitriũ totius molis penes se futurum, si utraq; pars cædib. satiata, tandem de transactione cogitare inciperet. Quievit tandem Urbs, ab armis, malis potius exhausta, quam quod cõcordiam spi-

 raret.

raret. Id tamen adeptum, ne exſules reverterentur, utpote quorum partes inferiores exſtitiſſent. Ipſe verò Corſus non longè poſt, cũ animum ſuum apertius declaraſſet, occiſus eſt. Scilicet eventus, qui ſtultorum ſolet eſſe Magiſter, reddidit tamdem cautiores homines. Siculi olim, cum Athenienſes ſubſidio ſibi diſſenſionibusq; ſuis arbitros legere vellent, diligẽter eos monet Hermocrates, ne id facere in animum inducant ſuum: Faciamus potius, inquit, ipſi inter nos pacem, quam ut advocemus alios: *Τηροῦσι γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ ὀνόματι συμμαχῆς παρόντες, ἐν νόμῳ ξυμμαχίας τὸ φύσει πολέμιον εὐτρεπῶς ἐς τὸ ξύμφερον καθίσανται.* Obſervant Athenienſes errata noſtra, & honeſto nomine ſocietatis animum hoſtilem à natura inſitum concinnè tegentes utilitati ſuæ invigilant. Idem hodiè Germania noſtra quamquam ſerius animadvertit.

## CAPUT III.

### *Matrimonia potentiora multum ad occupandum imperium poſſe, ideoq; ſuſpecta ſemper fuiſſe.*

DE ſocero ſuo Julio Agricola Tacitus:

*matrimonium ei cum Domitiá Decidianâ splendidis natalibus orta ad majora nitenti decus & robur fuit*, idq; verissimè. Unde quotquot injustis consiliis ad alta progredi cogitaverunt, unicè operam dederunt, uti potentes conditiones quærerent, quibus aucti, quo cuperēt, tandem pertenderent. Apud Senecam Tragicum planè hoc animo Lycus est, qui deliberans quomodo vi paratum imperium retineat, in his tandem verbis consistit: *in Hercule Furente.*

*——— ——— —alieno in loco*
*Haud stabile regnum est: una sed nostras potest*
*Fundare vires, juncta regali face*
*Thalamisq; Megara ducet è genere inclyto*
*Novitas colorem nostra.*

Neque alterius animi Perdiccas, de quo Justinus; Eum, ut viribus auctoritatem regiam adquireret, post Alexandri Magni mortem ad nuptias sororis eius Cleopatræ, Alexandri alterius Epiri quondam conjugis, nō aspernāte matre Olympiade intendisse, quod ipsum quoq; fecerat longè ante Darius apud eumdem Historicum, qui omninò principio regni sui fraude parti Cyri regis filiam matrimonio sibi copulandam censuit, regalibus nuptiis regnum firmatutus, ut non, tàm in extraneum translatum, quàm in familiam Cyri reversum videretur, ut monuit de his Arnoldus Clapmarius: Inde semper princi- *lib. 13.* *lib. 1.* *4. Arcanorū cap IX.*

 pibus

pibus suspecti fuere, adeoq; plus quàm civilia agitasse visi, quotquot sublimiora ordine suo matrimonia vel ambiverunt vel etiam contraxerunt. De Asinio Gallo Tacitus scribit
1. Annal. *Invisum eum primum Tiberio Caesari fuisse, tanquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quã civilia agitaret, Pollionisq; Asinii patris ferociã retineret.* Idem Tiberius apud eumdem: Cum
lib. 4. Annal. Sejanum Liviae nuptias uxoris Drusi, Germanici sororis petere intellexisset, *facilè vidit, quantum è republ. & dignitate sua peteretur. Itaq; metum suum valde cõposita oratione eidem aperit, & obscurè negat. Post quam orationem Seianus nõ jam de matrimonio amplius, sed altius metuens tacita suspicionum vulgi rumorem ingruẽtem invidiam deprecatur.* Idem odium, nec odium modò, sed & exitium incurrit ex eadem caussa Dolabella, de quo Tacitus. Idẽ Vitellius metu &
2. histor. odio, quod Petroniam uxorẽ eius mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per Epistolas, vitata Flaminiae viae celebritate, divertere Interamnam atq; ibi interfici jussit. Longum id interfectori visum, in itinere ac taberna projectum humi iugulavit. Apud Florentinos Corsus Donatus civitatis suae odia in se concitavit non nisi morte suâ exstincta, tum, ut inquit Scriptor Florẽtinus, quod mores cjus omnem civilem modum excede-

rent,

rent, tum verò & maximè quidem, quod Huguccionis Faggiolani, qui Gibellinarum Albarumq; partium dux, atq; in Thuscia potentissimus esset, filiam sibi matrimonio copulasset. Cautior circa hanc rem fuit, ut in aliis omnibus circumspectissimus, Cosinus Medices Magnus, qui primus serenissimæ familiæ amplitudinem peperit. Ut enim cives suos suspicione omni liberaret, quibus alioquin, ut Princeps, eminebat, filiarum, quas habebat, nullam in matrimonium Principi alicui, quamvis rogatus dedit&, similiter filio uxorem: in civitate sua honesto loco natam copulari voluit, externorum Principum filias, quæ illi offerebantur, respuendo. Machiavellus duorum filiorum ejus meminit, cuius elegantissima verba adscribam: Quâmquam verò, inquit, res gestæ Cosmi omnino regiæ, atq; ipse solus Reipub. Florentinæ princeps esset, nihilominus eà prudentiâ res suas moderari consueverat, ut civilem modestiam in actionibus suis nunquã excederet, sed in colloquiis omnib⁹q; vivendi modis, affinitatibuq; semper intra modestiæ fines se contineret. Neq; etenim ignorabat; *res communem modum excedentes, si eæ in dies oculis obversentur, longè majorem invidiam conciliare, quam si sint quidem at modestiâ obtegantur atq; delitescant.* Eam ob rem cum filiis suis nuptiæ quærendæ essent,

*Michael Brutus in Hist. Florent.*

*lib. 7 Hist. Flor.*

eas non ex principum familiis petiit, sed Joanni Corneliam Alexandriam, Petro verò Lucretiam Tornabuoniam junxit. Ex Petro neptes Blancâ Guilielmo Pazzio, Naninâ verò Bernardino Rucellaio matrimonio locavit.

---

## CAPUT IV.

### *Ludendi temeritatem in magnis principibus periculo non carere aliquot exemplis ostensum.*

INter imperii fundamenta si non principē, secundum certè locum tenet auctoritas, quâ salvâ cæteris malis remedium facilius adferri potest. Ab eâ plurimum abludit familiaritas nimia, quæ parere solet cōtemptū. Hujus ratio una consistit in ludendi temeritate, qua Principes sæpè eò se demittunt, ut cum subditis colludant, & non auctoritatis modò suæ, sed & bonorum atque etiam quādoque salutis jacturam faciant. Laboravit hac ludendi temeritate Octavius Augustus Cæsar, quanquam in ipso lusu majestatem beneficentia tueri voluerit, qua ipsa ludendi facilitate rumorem eum excitasse scribit Suetonius, verum non expavisse, hoc est, ab Romanis fuisse exagitatum, cæterùm parum illis opprobriis motum. Ipse de se Augustus

Cap. 71.

scri-

scribit ad Tiberium. Quinquatriis satis jucundè egimus. Lusimus enim per omnes dies, forumq; aleatorium calfecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem gessit, ad summam tamen perdidit non multũ, &c. Sed excuset Augustum, quod ipsemet scribit γεροντικῶς se ludere, hoc est, non cupiditate lucri, sed senilis solum oblectamenti caussa. Peius cessit temeritas hæc Artoxerxi apud Plutarch. ludenti minus considerate cum uxore Parisatide. Historiam Plutarchus ita recitat, supererat, inq̃t, Parysatidi Cyri necem vindicanti adhuc quem peteret, ille, qui caput & manum Cyri præciderat, Eunuchus Regis Mesabates. Hic cum ansam puniendi sui Reginæ in manus daret nullam, Parysatis hanc technam in Caput eius commenta est. Erat illa ingeniosa sua sponte mulier & aleâ ludendi artifex: quare ante bellum crebrò cum rege ludebat alea, & post bellum restituta in gratiam, eam familiaritatem non declinabat regis, ut & cum eo luderet atq; amorum conscia, administraq; in ijs ac adiutrix esset, ac planè minimã eius fruendi & cum eo consuetudinem habendi Statiræ faciebat proprium, cùm supra omnes illi infesta, tùm plurimum ipsa adfectans apud regem posse. Igitur cum captasset aliquando languentem otio Artoxerxem, provocavit eum ad lusum in mille

Daricos, ac vincere jactu ei permisit, repræsentavitq; argentum; simulans autem dolere ac pungi se victam petivit, ut de integro aleam jacerent de Eunucho. Gessit ei morem ille pacti, ut quinos uterque reciperet fidissimos ex reliquis, quem victor legisset, ut caret victus; hac lege luserũt. Cum intenta esset atq; in ludum Patysatis incubuisset, cecidisset præterea feliciter illi alea, vicit, & ex pacto Mesabatem sumit, & priusquam quid agere tur, Rex odoraretur, tradidit eum carnificibus, vivumque præcepit excoriari, corpus transversum in tres sustolli cruces & pellem seorsim palo suffigi. His actis & intellectis, cum rex accensus in eam stomacharetur, illa cùm risu cavillata: Hominem jucundum inquit & egregiũ, qui senis improbi & Enuchi quidem excandescis gratia; Ego mille aleâ perditis Daricis taceo & acquiesco. Ita rex impositum sibi esse dolens, cum factum mutare nequiret, silentio transmisit. Propius adtigit periculũ Casimirum Poloniæ regem, de quo Martinus Cromerus hanc recenset historiã. Circa annum, inquit, Christi 1177. Imperium & gubernationem Regni Polonici adiit Casimirus juvenis adolescens lusui valde deditus, adeò quidem, ut temerè cum quovis luderet. Is ad ludendum aliquando provocavit equitem Polonum, familia nobili & hodieq; in e-

*lib. 6. Chronici Polonici.*

in eo regno prępotenti, Johānem Conarium. Adsensus est regi Conarius, productaq; voluptas illa in multam noctem, tandem utroque in somnum ruente convenit inter ipsos, ut unico fortunæ jactui, quod uterque numorum haberet, permitterent. Victoria penes regem fuit. Conarius partim jactura numorum, partim scommate illudentis ei regis exacerbatus, palmâ regem in faciem percussit, & noctis ac tenebrarum beneficio evasit. Mane postridie perquisitus & repertus gravi Judicum sententia ad mortem damnatur: sed Rex quam primum intercessit, liberè cōfessus coram omnibus, parum peccasse Conarium, plurimum se in isto negotio. Nam primò provocasse se Conarium ad ludendú, ursisse deinde, ut in totam secum luderet summam; non quemvis in tāta numorum jactura iræ temperare posse, se dignum pœnâ esse, qui suæ Majestatis non habuerit majorem rationem. Condonare igitur se & plagam & culpam Conario, gratias insuper ei se debere, qui unâ plagâ sapere eum docuerit, & á levitate illa in futurum revocârit. Serio autem, se hæc dicere ut Conarius certò sibi persuadeat, argumento fore beneficium novum, & cum dicto afferri jussit omne aurum, quod & posuerat ipse & à Conario ex lucro acceperat, idque allatum Conario in manus tradidit.

In descriptione vitæ suæ Carolus IV. describit conventum multorum principum VVratislaviæ, & inter alia narrat: Iis itaque in VVratislavia existentibus, inter alia solatia, quibus principes solent insistere, ille odiosus & furibundus taxillorum lusus inter eos exstitit. In quo, Rex Ungariæ & Comes Hollandiæ sic ferventer luserunt invicem, ut ipse Comes in Rege sexcentos florenos (hui quãtillum præut hodie etiam à privatis perdi solet!) lucraretur. De quo cum dictum Regem iracũdum turbulentumq; videret habere animum, motus vehementia & arrogantia nimia, prorupit in hæc verba; O domine Rex, mirandum est, quod cum princeps tàm magnificus sitis, cuius terra omnibus abundare dicitur, de tam modicâ pecuniæ summâ sic ægrum debetis monstrare animũ & in inquietudine ponere mentem vestram. Ecce ut vos & omnes alii videatis apertè quod pecunias taliter adquisitas nolim in usus meos transire, sed liberaliter à me transire, debent. Quo dicto, omnes pecunias in lusu acquisitas proiecit in medium populi circumstantis. Quæ res regem magis axacerbavit, in præsens tamẽ dissimulare coegit.

Adiiciam, quod acceptum à magno Sleidano illustris Thuanus narrat: Caussas, inquit, odii, inter Johannem Fridericum Ele-

ctorem

ctorem & Mauritium Saxoniæ principes gẽtiles, aliqui has adducunt. Cum in aleæ lusu Mauritius omni pecunia amissâ Septemvirum ad continuandum ludum deposito oppidulo improbius urgeret, eo itidem amisso, Mauritium à Septemviro increpitum fuisse admonitumq;, ut inposterum in ludẽdo modum servaret. Illum verò reprehensionis acerbitatem gravius iusto tulisse, statimq; agnato suo ex ea caussa bellum intulisse, quod vix tanden Hessi soceri interventu compositum sit. Hæc & alia, addit Thuanus, à Johanne Sleidano commemorantur, quæ sive cõficta, sive talia sunt, ut honestè à Mauritio proponi nõ debuerint, certè tot editis ab utraq; parte in hoc dissidio scriptis, nusquam eorum facta mentio est. Quomodo nũc appellem insaniã eorum, qui eò ludendi libidine provehuntur, ut omnibus bonis exsuti seipsos in servitutẽ abducendos pecuniæ opponant, & ultrò victorem servitum sequantur. Quod in florentissimo regno non rarenter fieri confirmarunt mihi nobilissimi eo oriundi Juvenes, Lubeat exclamare φεῦ φεῦ τῆς κενότητος; φεῦ τῆς μανίας!

CAPUT

## CAPUT V.

### *Privatas iniurias bono publico generosè condonandas.*

DE Julio Classiciano Tacitus scribit: Julius Classicianus Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatatibus impediebat. Scilicet noverat, quod & alibi eloquitur: privata odia pertinaciam in publicum exitium stimulare. Exempla nimis sunt obvia. In sacris Joabi & Abneri æmulorum, in profanis Ephestionis & Crateri, Balbini & Maximi, Ciaxaris & Cyri, aliorumq;, recentiora quoque multa narrari possent. Nobile est exemplum dissidii prosperi Columnæ & Francisci Ferdinandi Piscarii in obsidione Mediolani: Velibegi item & Arslobegi Turcarum. Collegere aliâ alii, quos non cōpilo. Huic malo viri generosi sic occurrere soliti sunt, ut vel iniurias adceptas prorsus publico cōdonarent vel certè cū reip. necessitas requireret, ponerent, resumendas simultates, si resp. rursus conquievisset. Hanc laudem Aristides reportavit, qui missus reip. caussa cum Themistocle adversario, ubi ad portam Vrbis exituri venissent, in hæc verba Aristides Themistoclem compellasse fertur; *Vísne,* inquit, *Themistocles, paulisper nostras inimici-*

*v. Annal.*

*v. Histor.*

*Plutarchus in eius vitâ.*

*micitias abiiciamus, recepturi, cum redierimus domum privati?* in quod pactum Themistocles facilè consensit. A Livio Fabius hac caussa cõmendatur, sic tamen ut etiam commendet difficultatem huius rei, doceatq; magni animi esse, odia expectorare, & rationi locũ dare. Erat Fabius Papyrio Cursori inimicus: Is autem Dictator creandus videbatur, ad eam rẽ opus erat Fabij consensu, quem difficulter daturus videbatur, simultatibus inter utrũq; publicè notis. Rogatur tamen à Senatu populoq; Romano, uti privata patriæ remitteret. Assensit tandem, inquit Historicus, quãquam diu tacendo ad petita, adpareret magnum eũ dolorem ingenti animo cõprimere. Fortior Tyberius Gracchus credatur, qui cum esset inimicus Scipioni Africano, Luciiq; fratris, isque Lucius repetundarum accusaretur, magno erat in metu Senatus, ne severissimã sententiam Gracchus diceret. At is magna sua gloria in Scipionis sententiam ivit, adtestatus se privatarum inimicitiarum caussa nunquã remp. deserturũ. Fecit hoc ultrò & sua spõte Gracchus, tantòq; laude dignior; à qua laude abest Salienus Clemẽs, de quo Historicus: Junium Gallionem Senecæ fratris morte pavidum, & pro sua incolumitate supplicem increpuit Salienus Clemens, hostem & parricidam vocans, donec consensu Patrum deterritus

.itus est, ne publicis malis abuti ad occasionẽ privati odii videretur. Non minor est virtus & generosi animi signum, in odio verum pervidere nec injuriam inimico fieri permittere, pressum item relevare potius, quam amplius premere, & sublevare magis, quam cum possis nocere. Prioris exemplum elegans suppeditat nobis Jacobus Mongomerius Lorgianus, auxiliorum Gallicorum sub Francisco præfectus, de quo hæc duo magni viri Georgius Buchananus Scotus, & Jacobus Augustus Thuanus Gallus. Mortuo Iacobo V. Scotiæ Rege, cum inde factione Scoticâ, quæ Anglis favebat, inde contrariis studiis reginæ viduæ & Cardinalis Santandreani regnum distraheretur, Jacobus Hamiltonius prorex constituitur, qui quod tanto oneri impar, summam rerum in discrimen vocaturus videretur, ex consilio reginæ & Cardinalis, Matthæus Stuartus Leviniæ comes è Galliâ evocatur, cum Francisci mandatis, ut videret, ne quid res Scotica detrimenti caperet. Sed cum mox, ubi ille in Scotiam venit, Scoticæ factionis Princeps effectus, reginæ & Cardinali, qui jam proregem astu ad suas partes traxerant, suspectus esse cepisset, ab iis spe regiarum nuptiarum diu delusus, & calumniis interea apud Franciscum petitus, quod pecuniam ad se missum suppressisset, quod ob ejus cum

*Buchan. lib. 16. Rer. Scot. Thuan. lib. 3. Hist.*

Car-

Cardinale dissensiones prodita fuisset caussa publica & aliis. Cum se apud regem invidia gravatum, suumq; fratrem, satellitii regii præfectum, in custodiam, non auditum, datum, nullum deniq; purgationi criminum, quæ objiciebantur, locum relictum esse apud nos videret, post infelicem cum prorege cõgressum in Angliam ad Henricum transfugit, quæ fuga invidiam Regis & odium magis ab adversa parte nutritum auctum incendit. Verùm non multò post elucescente paullatim veritate Franciscus, ut excusatior esset culpa, temeritati velandæ colorem quæsivit, ac in crimina Levinio objecta inquiri jussit. Id negocium Jacobo, quem diximus Mongomerio Lorgiano datum, viro quidem impigro, sed Levinl acerrimo inimico. Appulit is in Scotiam V. Non Iulis Anni MDXLV. literis à Rege voluntatis suæ indicibus munitus, ibidemq; cum de calumniis in Levinium â Cardinali confictis cognovisset, ipsumque ob id Cardinalem graviter increpuisset, quod virum potentem in suspicionem Francisco adductum solum vertere coegisset, in Galliam jam appetente hyeme reversus est: deq; re totâ, certiore Fràcisco reddito auctor ei fuit, ut Johannem Stuartum Albinium, Levinii fratrem, quem inauditum in custodiam incluserat, liberum dimitteret. Ad cujus

*IIX. eius nominis.*

jus facti, homine ejus loci digni, commendationem ita Thuanus: factum hoc à Mongomerio raro incorruptæ probitatis & generosi animi exemplo, qui inimico viro gravissimorumq; criminum (apud Potentissimum & sibi addictum Regem) invidiâ laboranti, cũ posset, nocere tamen noluerit. Posterioris verò exemplum illustre patet in Vezinio Honorati Sabaudi Villarii Marchionis in Cadurcis Legato, de quo hæc Thuanus: inter tot immanitatis Parisiensis (nocte lanienæ famosissima) exempla, res incidit memoratu digna, quæ eorum atrocitatem nonnihil fortasse mitigavit. Erant huic Vezinio homini ex provinciali nobilitate forti, sed quem ferina natura plerisq; invisum reddiderat, cum Renerio ex eadem nobilitate adolescente pariter strenuo, sed cultiore ingenio inimicitiæ capitales, quæ nunquam amicorum ac vicinorum interventu componi hactenus potuerant. Cum Renerius igitur in tumultu illo, observante ubique ante oculos morte, ad extrema se componeret, effractis subito foribus Vezinius, cui in Cadurcos proficiscẽdi sub id à Rege negotium datum fuerat, stricto gladio cum duobus armatis supervenit. Cũque eò magis ille jam mori certus prostrato humi corpore divinam misericordiã imploraret, Vezinius horrida voce supplicem surgere

lib.52.

gere & asturconem ad id in via paratum inscendere iubet. Ita Renerium, quo duceretur initio incertum, Urbe postremo educit, ac fida accepta sequi imperat: amboq; nunquam intermisso itinere in Aquitaniam tendunt. Et cum toto illo tempore Vezinius Renerium alloquio minimè dignatus esset, tantumque ut illi in diversoriis ad victum necessaria parata essent, per suos curasset, tandem in Cadurcos atq; adeo in Renerii arcem una pervenerunt; Ibi Vezinius ad Renerium conversus: avidum jam pridē ultionis animum, inquit, scis quam mihi facile fuerit explere, si occasione uti voluissem. Sed nec pudor meus id sivit, & virtus tua semper digna mihi visa est, cū qua æquato periculo experirer. Habe igitur vitam meo beneficio servatam, tibiq; sic persuade, tàm me ad contentiones nostras more inter nobiles recepto dirimendas paratum deinceps fore, quàm me nunc ad inevitabilem tibi perniciem avertēdam non segnem expertus es. Ad quæ verba Renerius retulit: Nec animus, nec vires, aut voluntas adversus te, Vezini, amplius constans: omnia hæc quæ contra te parata habebā, recenti beneficio tuo mihi eripuisti. Ipsas inimicitias tā generoso facto exstinxisti, cuius exemplū nulla delebit ætas, & ipse memoriam æternā servabo. Imperiosè me sequi ius-

ſum huc incolumem duxiſti, nunc quocunq; voles ſponte ſequuturum ducito; tibiq; perſuaſiſſimum habeto, me vitam quam tibi debeo, & virtutem, quã in me laudas, ſi qua eſt, arbitrio tuo expendere ſemper paratiſſimum fore. Calamitatis publicæ, quæ tam multos involvit, hic fructus apud me erit, ut quèm irreconciliabili ante odio, proſequutus fueram, tam illuſtri gratia obſtrictus omni deinceps veneratione & officio mihi colendum exiſtimem. Quibus dictis, Renerius cum in amplexus rueret, Vezinius priſtinã in vultu torvitatem ſervans, amico inimicoq; ait, me, ut libet, utere, nam utriusq; tibi optio meo beneficio data eſt, ſtatimq; nõ exſpectato reſponſo calcaria addit, relicto aſturconi, quo Renerius vectus venerat, quem à Renerio officioſè etiam remiſſum nunquam recipere voluit. Addam hiſtoriam, quam ex Ælio Antonio Nebriſſenſi refert & mirificè cõmendat commentario ad Tacitum Hannibal Scotus; pro recenti, inquit, exemplo odiorum privatorum reip. condonatorum erit nobis Henricus à Methymna Aſintica, dux ex illuſt. Gutzmanorum familia in Hiſpaniis primaria ortundus. Huic duci intercedebant veteres ſimultates cum Roderico Ponze de Leon Marchione Gaditano, uno ex proceribus Hiſpaniarũ, adeò potẽtes & validæ ut, cũ Marchio

*lib 1. deca. 2. lib. 5. qua de Trione & Regulo.*

chio

chio ipſe conſilium iniviſſet cum Jacobo Me-
rulo civitatis Hiſpalenſis præfecto intercipi-
endi urbem Alamam è manibus Maurorum
Granatenſium, huius rei participem ipſum
ducem non fecerit. Eademq; de cauſa cum
poſtea ipſi à rege Granatenſium in eodem
oppido oppugnarentur, & in maximâ diffi-
cultate conſtituti undiquaq; auxilium pete-
rent & ad ſuppetias ſibi ferendas finitimos
populos & provincias hortarentur, duci ipſi
â Methimna Aſintica ob memoratas ſimul-
tates nuncium non miſerit, nec eum comõ-
nefecerint, veriti, ne rogando facerent fero-
ciorem, quem pręſertim à principio de tanta
re non conſuluiſſent. Sed ipſe Dux Henricus
ſimultatum, quæ illi cum Marchione inter-
cedebant, magnanimâ oblivione memoriam
delens, equites peditesque ſuæ ditionis aut
ſua æra merentes evocando, amicos rogando
& omnes in cõmune ad ferendam laboranti-
bus opem adſciſcendo, maximum exercitum
comparavit, & cum illo maturè veniens Ala-
mam, ſolvẽdo obſidionem Marchionem cũ
omnibus obſeſſis liberavit. Hoſtes enim ad-
ventu eius non exſpectato fugam arripue-
rant. Cumq; poſtea Marchio liberatus prior
ducem adiiſſet, atq; illi pro tanto beneficio
gratias referret: magnanimiter illi & breviter
dux reſpondit, miſſa hæc fac Marchio, neq;

enim decet in caussa publica, maximè verò in caussa religionis bonos viros privatarum simultatum meminisse, quin potius omnes offensas, si quæ hinc aut inde illatæ acceptæque sunt, patriæ condonemus ac nomini Christiano, æternâq; oblivione sepeliamus. Nūc quando benè utrisque cessit, genialis agatur hic dies, sitq; inter nos gratiæ reconciliatæ testis sempiternus. Atq; sic hospitia junxerunt, atque amici semper postea vixerunt,

## CAPUT VI.

### *Inimicitias morte finiendas neque in mortuos Hyænæ instar sæviendum.*

Eleganter Euripides:

Θάνατος γὰρ ἀνθρώποισι νεικέων θέλος, id est, rixarum atq; odii humani mors terminus esto. Quid enim mortuos juvat affligere aut persequi velle, cū sensus expertes omnis sint? Idem est, inquit Plato, mortuum vexare, atq; more canum lapides impetere. Humanitatis est non inquietare quietos, aut cum judicem suum habeât jam mortui, ulcisci nolle. Salvator solem cōdi vetuit, nisi positis prius inter Christianos odiis. Quid censes, sensurum de illis, qui cum mortuis contendunt,

*5. de rep.*

ade-

adeoq; ut in veteri est verbo, cum larvis luctantur? Itaq; optimi quiq; à muliebri hac irascendi ratione studiosè abstinuere. Leonis etiam exemplo, de quo Poëta.

*Pugna suum finem cum jacet hostis, habet.*

Declaravit hoc celeberrimus Vir, virtute, dignitate, & eruditione amplissimus Philippus Camerarius JCtus, cujus industriæ quædam lubet substituere. Atq; familiam quidem ducat nobis ex veteri historia Severus Imperator, de quo Ælius Spartianus ita loquitur: Extat domus hodieq; visitur Romæ in Campo Jovis, quę appellatur Pescenniana, extat & Epigramma Græcum, quod latinè hanc habet sententiam. *Centur. 1. horar. succisiva. cap. 3.*

*Terror Egiptiaci Niger astat militis ingens,*
*Thebaidos sociis aurea secla volens;*
*Hunc reges & amant gentes, hunc aurea Roma:*
*Hic Antoninis charus & imperio.*
*Nigrũ nomen habet, nigrum formavimus ipsi.*
*Vt consentirent furva metalla sibi.*

Hos versus Severus eradi noluit, cũ hoc ei & præfecti suggererẽt & officiorũ magistri, addẽs, si talis fuit, sciãt omnes, qualẽ vicerimus: Si tales nõ fuit, putẽt omnes, nos talẽ vicisse, imò sic sit, quia fuit talis. Huic geminum exemplum legere memini apud Rodericũ Sanzium historiæ Hispanicæ scriptorem. Cum, inquit, Alvarus de Luna à Johanne Secundo

Henrici filio Castellæ & Legionis Rege occisus capellam & sepulchrum insigne in æde primaria Toletana construi fecisset, idq; ab Infante Henrico Petri diruptum fuisset, idē tamen Johannes Rex restaurari permisit, plurimis dissuadentibus, ne tam superba statua in eo emineret templo, in quo Hispaniarum Reges humiliter tumularentur, indignumq; videri dicebant, capite truncatum inter regio diademate coronatos quiescere, cū præsertim sepulchri inscriptio maximarum rerum jactantiā præ se ferret. Ad quæ rex, vera, inquit, an falsa sint, quæ de se Alvarus scribi jussit, intacta maneant; quia dignum putamus, ut morientes, quæ volunt, de se scribant. Cui rationi & alias adtexit, verum ab instituto nostro alienas. Sed ad nostras quoq; historias veniamus. Scribit Otto Frisingēsis, mortuo Rudolpho Imperatore contra Henricum creato, sepultum eum Mersepurgi fuisse pompa prorsus regia. Eò loci fortè venit ētiam Henricus Imperator, viditq; sepulchrum adversarii spendidum & fortunæ, quam præ se Rudophus tulerat, satis dignum. Tum susurronum aliquis ex gente Parasitica spe gratiæ captandæ Imperatori in aurem; Ecquid tu fers Domine, æmulum istum tuum, qui rex nunquam fuit, regali honore sepultum jacere? Cui Cæsar, Jaceat ille & eo quidem

*parte 4. cap. 3 pag. 422.*

dem

dem modo quo voluit jacere, me verò ſplendor iſte tantum abeſt, ut offendat, ut optem & cupiam omnes meos hoſtes etiam ſplendidius ſepultos jacere. Quod reſponſum revocat mihi in memoriam non multum diſſimile reſponſum, q̃ Antoninus Imperator ſuis olim dederat. Suſtulerat is infãdo parricidio Getam fratrem, cujus facti infamiam mitigari poſſe cenſebãt eius amici, ſi necatum inter divos referret idq; uti faceret Antoninus monebatur multoties, tandem precibus velut expugnatus in hæc verba ipſis reſpondit: *Sit ſanè Divus, dummodo non ſit vivus.* Magis cõmendabilis eſt virtus maximi Imperatoris & optimi Principis Caroli Quinti, qui cum anno 1547. victor VVitenbergam Vrbem ingrederetur, & quæ inibi publica eſſent ædificia, luſtraret avidè, urgebant eum duæ Eumenides infernales, Ferdinandus Albanus & Epiſcopus Atrebatenſis, uti Lutheri ſepulchrũ dirui, demortuiq; cadaver publicè concremari vellet juberet. Quorum petitionem gravi & ad ſeveritatem ea Maieſtate dignam compoſito vultu accepit, atq; his verbis eam ſibi diſplicuiſſe teſtatus eſt; nil mihi ultra cum Luthero, alium ille jam habet judicem, cujus Jurisdictionem invadere noſtrum non eſt, neque mihi cum mortuis bellum eſſe ſciatis, ſed cum ſuperſtitibus, & in nos armatis.

Cumq; animadvertiſſet, Hiſpanos ſuos cum Albano & Atrebatenſi ſentire, ſeverè atq; vitæ etiam capitisque periculo ſanxit, inviolatum Lutheri ſepulchrum ut eſſet. In quo ſummo nomine, eiusq; elogio caput hoc concludo.

## CAPUT VII.

### *Continuationem Imperii in eadem familia valdè invidioſam eſſe, ideoq; diligenter cavendam.*

GRaviſſimæ ſunt concertationes inter Politicos, Præſtetne cõtinuatos in rep. magiſtratus eſſe, an verò breves & quam minimũ diuturnos. Militant utrinq; rationes, pro continuatione quidem, quod omnis mutatio periculoſa, quod in brevibus magiſtratibus non ſit occaſio virtutis exerendæ, ſed decedere quis cogatur, cum maximè idoneus imperio videtur, quæ ratio Spartianum habet fautorem, qui ſcribit, Severum Aurelianum cum videret, provincias facili adminiſtrationum mutatione ſubverti, primum ad Marcum Antoninũ, deinde ad Commodum ſcripſiſſe, ut nulli ante quinquennium ſuccederetur ꝓvinciæ præſidi, vel legato vel, procõ-

*In Peſcennio Nigro.*

ſuli

suli, quod prius deponerent potestatem, quam scirent administrare, quod præterea majestas sic & metus adimatur. Quis enim tantopere matuat aut revereatur illum, quem brevi sciat futurum iuxta se privatum? Quibus accedit & hoc, quod major sit futura cupiditas magistratuum & rapiendi studium, si imperium suum brevius fore norint. Quid? quod novi isti magis exsugent etiam, tanquam famelicæ muscæ, succedentes plenis ac tumidis. Producunt & exempla pro se callidissimi primum & artium imperandi scientissimi Tiberij, de quo Tacitus: id quoq; morum Tiberij fuit, continuare imperia ac plerosq; ad finem vitæ in iisdem exercitibus aut jurisdictionibus habere: Pii item Antonini, de quo Capitolinus: factus Imperator nulli eorum, quos Adrianus provexerat, successorem dedit, fuitq; ea constantia, ut septenis & novenis annis in provinciis bonos præsides detineret. Contra verò sentiunt sapientissimi quiq; aquila in nubibus Aristoteles multis locis, quia videlicet perpetua præfectura alterum sit imperium, quia oriatur ex continuatione magistratuum seditio, quia ut corporis ita mentis quoq; sit senectus, adeoque continuatione ista tandem administrationi reip: inepti reddantur. Quid? quod ista imperiorum continuatione im-

*1. Annal. extr.*

ne immunes reddantur magiſtratus à rationibus reddendis. Repetitur etiam ab aliis vetus Romanæ reip: Conſilium, quæ Conſulum imperium ultra annum extendi noluit, rationem reddunt Scriptores, ne diuturnitâte poteſtatis inſolentiores redderentur, ſed civiles ſemper eſſent, qui ſe tandem ſcirent futuro privatos. Nam verius eſt omni oraculo Mæcenatis illud apud Dionem; Ἀρχαὶ αἱ μακρότεραι καὶ πολυχρονιώτεραι ἐπαίρουσι πῶς πολλοὺς καὶ ἐς νεωτεροποιίαν ἐξάγουσι. At, inquit, Brutus apud Dionyſium Halycarnaſſeum, omnis pergravis eſt magiſtratus, cui nullum certum tempus eſt præfinitum, & qui nullis actorum ſuorum rationibus reddendis obnoxius eſt. Inde enim tyrannus naſcitur. Mihi itaq; placet, uti magiſtratus poteſtas anni ſpatio contrahatur. Imperandi enim illa parendique viciſſitudo ac poteſtas antequam animum corrumpat relinquenda, reprimit ingenia faſtuoſa, nec inebriari nimia licentia ſinit. Et quæ damna quidem Reip. Romanæ prorogatio imperii dederit, Cæſaris exemplo docti ſumus. Suetonius in ejus vita: Captum imperii conſuetudine quidam putant, penſitatisq; ſuis & inimicorum viribus, uſum occaſione rapiendæ dominationis, quã ætate prima concupiviſſet: ꝙ exiſtimaſſe videbatur & Cicero ſcribens de Officiis 3. libro ſecun-

lib. 4.

ſemper Cæſarem in ore habuiſſe Euripidis verſus:

*Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ τυραννίδος πέρι*
*Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ᾽ ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεὼν.*

Quos ſic ipſe convertit.

*Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia*
*Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.*

Eadem ex cauſſa factum eſt, ut & Marius & Sylla exercitum cōtra remp. parare potuerint. De Milthiade apud Græcos Æmilius Probus ſive Cornelius Nepos: Milthiades multum in Imperiis magiſtratibusq, verſatus non videbatur poſſe eſſe privatus, præſertim cum conſuetudine ad imperij cupiditatem trahi videretur. Quod incommodum apud Tacitum Tiberius callidè & ſimulanter prætendit, & ut eleganter loquitur Tacitus, favorabili in ſpeciem oratione: Grave moderationi ſuæ tot eligere, tot differre; vix per ſingulos annos offenſiones vitari, quāvis repulſam propinqua ſpes ſoletur, quātum odii fore ab his, qui ultra quinquennium projiciantur? unde proſpici poſſe, quæ cuique tam lōgo temporis ſpatio mens, domus, fortuna. Superbire homines etiam annuâ deſignatione; quid ſi honorem per quinquennium agitent? quintuplicari prorſus magiſtratus, ſubverti leges, quę ſua ſpacia exercendæ candidatorum induſtriæ, quærendisq; aut potiundis

undis honoribus statuerint. De legibus quod ait, certi juris est, & notavit plures ejus generis doctiss. Josias Mercerius. Inter alias plebiscito cautum fuisse ait, uti ne quis prorogari sibi peteret. Hæc & his alia à Politicis hodie ultro citroq; dicuntur. Confugiunt ad distinctiones & minores quidem magistratus continuari posse ajunt, majores sine magno periculo non item. Verum, ut dixi, non mihi propositum de cõtinuatione magistratuum in genere agere. Illud instituti mei est docere, An in eadem familia continuari dignitates expediat? Id quod non videtur; Cuius rei argumentum hoc do. Invidiosissimam videlicet esse rem eam. Scribit de Q. Fabio Maximo Plutarchus: Cum majores ipsius consulatus in reip. sæpius gessissent, ipse etiam quinquies eidem imperio cum laude præfuisset, cum eumdem honorem in filium conferri vidisset, deprecatum esse, ne familia benè de rep. merita potentissimorum civium invidię obijceretur, neve contra leges maximum imperium in una familia continuaretur, neq; putavit avitæ quid decedere gloriæ, si imperio abstineret filius, sentiens videlicet cum Catone, qui magistratuum cupidos viæ ignaros dicebat, ideoq; semper velle cum lictoribus ire, ne errent. Hinc Pompeius Columna apud Jovium, Julium Mediceum Le-

*Plutarchus in vita Catonis.*

oni

oni X. in Pontificatu ſubſtitui noluit, quod ſummum Chriſtianæ reip. imperium in una domo, duobusq; fratribus (nam Leo Medicæúes quoq; fuit, Juliique frater) continuari parum æquum & maximè ambitioſum putaret. Noverat videlicet prudentiſſimus homo, Athenis unum non potuiſſe bis 'Επιςάτην eſſe, apud Romanos neminem intra decennium eumdem magiſtratum gerere. Viderat continuatione iſta in eadem familia honorum, Florentinos, Piſanos Patavinos, alios, alias Italiæ reſpp. ad ſervitutem ac dominatum alterius redactas. Præſtat igitur, ut C, Marius apud Velleium Paterculum, obiurgare naturalem nobilitatis ſuperbiam morandiq; in imperiis aut in filios trāsferendi cupiditatem fortiter reprimere & coercere.

## CAPUT VIII.

### *Militaris quidam mos antiquus notatus.*

DE rigore militaris diſciplinæ quædam nos ſupra attigimus, & facilè eſt plura videre apud rerum militarium Scriptores, inprimis Vegetium inter Veteres, & Juſtum Lipſium inter recentiores. Unde cum obtinere quid milites vellent & oratione ſupplici-

ute

utebantur & variis persuadendi rationibus. Inter alias notata mihi est insignis quædam ratio, qua ut quod vellent, obtinerent; ostēdebant, quæ pro rep: pertulissent fortiter aut egregiè. Apud Tacitum seditione in Pannonia orta cum missionem miles peteret, scribit Historicus, postquam Percennius dux olim Theatralium Operarum, dein gregarius miles, procax lingua, & miscere cœtus histrionali studio doctus, exercitum commovisset, oratione finita, astrepuisse vulgū diversis incitamentis. Hi, inquit, verberum notas, illi caniciem, plurimi detrita tegmina & nudum corpus exprobrabant. Eodem libro pergit Historicus & inquit, quidā ex seditiosis prehensa manu Ducis Germanici per speciem osculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret, alii curvata senio mēbra ostendebāt, nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas exprobrant, atrocissimus veteranorū clamor oriebatur, qui tricena aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, nec mortem in iisdē laboribus, sed finē jàm exercitæ militiæ, neq; inopem requiem orabant. Idem in seditione apud Lucanum Juliani milites faciunt, itidē missionem petentes. Inquiunt enim; iam respice canos,

Inva-

*Invalidasq; manus & inanes cerne lacertos,*
*Vsus abit vita, bellis consumpsimus ævum,*
*Ad mortem dimitte senes.*

Quò pertinet & illud Petronianum, cum inquit; Hæc vulnera pro libertate accepi publica, hunc oculum pro vobis impendi. Simile quid etiam aliàs factum colligo, uti videlicet beneficia sua in remp. commemorarent. De Marco Hortalo juvene egregio idem Tacitus scribit, Eum inopiam suam à Tiberio sublevari petentem oratione tali usum: Constituerat ante curiæ limen quatuor filios. &, patres conscripti loqui cœperat, hos quorum numerum & pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat Augustus, simul majores mei meruerant, ut posteros haberēt. En stirps & progenies tot Consulum, tot Dictatorum, nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero, assequentur florente te Cæsar, quos dederis, honores. Interim Quinti Hortensii pronepotes, Divi Augusti alumnos ab inopia defende. Cæterùm militaris illius moris reperi exemplum recentius apud Paulum Æmilium sub Clodoveo primo. Sigeberti, inquit, è proceribus, Francis ferocia maior erat, quàm Cannacarii, sed caussa minus invisa. Cannacarius Cameracensium idem & Atrebatium Regulus, vetustissima generis nobilitate tumebat, Clodi-

V onis

onis Regis Franci adnepotem se prædicabat, ac ad se legibus Francorum regnum perventurum fuisse dicebat; Sigebertus autem pro regis gloria se sanguinem fudisse, vulnere ingenti adcepto jactabat, nec ullam sibi propterea relatam gratiam.

## CAPUT IX.

### *Quomodo hosti terror incutiendus sit.*

ACutè, ut pleraq; omnia, nervosissimus scriptor Tacitus, plerumque bella fama constare, adeoq; ut initia belli provenissent, ita famam in cætera fore. Unde potissima cura ducum terrorem hostibus incutere. Id quomodo optimi quiq; consequuti sint placet ex Historicorum monumentis videre. Atque hic primum reperio duces inaudito aliquo novoq; facinore hostium animos emollivisse atque deiecisse. De Xerxe scribit Zosimus, Panicum eum terrorem Græciæ intulisse Hellesponti junctura & Atho monte perfosso, atque eam supra hominis vires stupendis operibus. Gallorum etiam apud Livium repentinus ad Urbem adventus & inopinatus adeò perculit Romanorum animos, ut nec consilium nec auxilium rebus suis invenire possent. Quo pertinet & violentia pri-

lib. 1.

prima, qua uti solent adversus hostem in primo belli limine periti duces, ut sic animus cadat hostibus, crescat suis. Unde Judæi apud Philonem sese mutuo his verbis exhortantur: Intrepidè pugnemus & dum in limine simus, terrorem hostibus incutiamus; quæ de re videantur, quæ notavit summus vir Gruterus. Alter modus quoq; est perterrefaciendi hostem armorum similitudine, ut docemur à Cæsare, cuius hæc sunt verba: Hedui visi subitò ab latere nostris aperto, quos Cæsar ab dextra parte alio ascensu manus distinendæ causa miserat similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt. Ac tametsi dextris humeris exsertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat; tamen id ipsum sui fallendi caussa milites ab hostibus factum accipiebant. Contra verò arma insolita magis hostes exterrere solent, sicut autor est Tacitus, qui Germanos victos scribit à Germanico non virtute bellica, sed genere pugnæ & armorum superatos. Verba ejus sunt; utriusq; & Romanis & Germanis necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria; nec minor Germanis animus, sed genere pugnę & amorũ superabantur. Aureliano quoq; plurimum ad victoriam contulisse scribit Zosimus, quod Palæstinorum armis, quæ clavæ erant, Palmireni essent attoniti.

*lib. de vita Mosis.*

Cæſar quin etiam ſuum exercitum perterritũ eſſe ſcribit novo genere pugnæ Britãnis uſurpato, dum Romanis in munitione caſtrorum occupatis ſubito ex ſylvis ſeſe ejecerãt impetumq; in eos fecerant, qui in ſtatione pro caſtris collocaverant. Sic olim Carthaginienſes corvorum, quos Romani navibus ſuis addiderant, novitate perterriti, quinquaginta navium jactura in fugam verſi ſunt. Iidem Romani quantopere perturbati fuerunt, cum Poeni primum elephantos ipſis in Africa oppoſuiſſent, locuples huius rei teſtis eſt Polybus? Gerhardus de Rhoo deſcribens bellum Alberti Auſtriaci, quod geſtum eſt cũ Ungaris anno Salutis 1296. malè pugnatum ſcribit à Landenbergo, morem Ungarorum in bellis ignorante. Dum enim Suevi ſtatariæ pugnæ adſueti gladiis rem gerunt, Ungari nunc refugientes, nunc equis, quos habent velociſſimos, in hoſtem redeuntes, eminus ſagittas ſpargunt, Suevi novo illo & ipſis inuſitato genere deprehenſi multos ex ſuis amiſere. Idem quod Ungarorum, Parthorum Scytharumq; inſtitutum eſt, quos fugiendo plus nocere, jam abiit in adagium. Quos terrores bombardarum in bello uſus excitaverit, notius quoq; eſt, quàm Commemorari debeat. Quo machinæ genere cum uſus eſſet adverſus Mediceæ familiæ principatum Flo-

Florentinis exsulibus opem ferens Bartholomæus Coleo, Venetorum dux & emissa pila Spingardæ Herculi Ferrariæ principi calcaneum detersisset, improbè fecisse Coleo dicebatur, quod viros fortes gladio cominus rē gerentes & pro virtute ac gloria dimicantes inusitata atq; horribili pilarum procella sternendos curaret. Barbari videlicet id moris esse, machinis uti in bello iis, quę virtutem obnubilent, etiam exstinguant. Sæpè etiam Panicus quidam terror animum adimit hostibus, ut recolligere sese non possint. Qua de re sub alio titulo quædam diximus & amplius fortasse dicturi sumus.

## CAPUT ULTIMUM.

### *Gentes aliquas natura ambitiosas esse & maximè populos bellicosiores, notata item alia quædam certarum familiarum πάθη hæreditaria.*

ANimadverti ex Historicorum relationibus, Gentes quasq; bellicosissimas quasi natura gloriæ quoque cupidissimas fuisse. Exemplo nunc sint nobis primum Lacedæmonii, quos ambitiosissimos fuisse supra alias gentes, paucis verbis, sed prægnantibus Isocra-

crates: τὸ φιλότιμον, inquit, μᾶλλον τοῖς Λακεδαιμονίοις ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὑπῆρχε, hoc est, gloriæ studium magis exercuit Lacedæmonios, quàm ullos alios homines. Quam in rem multa etiam narrat Polybius. Non minus ambitiosi fuere Athenienses, ut perspicuè docet Demosthenes orat. adversus Androcionem, cuius verba recito: Καὶ οὐδ' ἐκεῖνο οἶδεν ὁ Ἀνδροτίων, ὅτι πρὸς μὲν χρημάτων κτῆσιν, οὐδέπωποτε ὁ δῆμος ἐσπούδασε. Πρὸς δὲ δόξης, ὡς οὐδὲ πρὸς ἓν τῶν ἄλλων. Τεκμήριον δὲ, χρήματα μὲν γὰρ πλεῖστα τῶν Ἑλλήνων ποτὲ σχὼν, τὰ πάνθ' ὑπὲρ φιλοτιμίας ἀνήλωσεν· εἰσφέρων δ' ἐκ τῶν ἰδίων, οὐδένα κίνδυνον ὑπὲρ δόξης ἐξέστη, id est, Nec illud quidem animadvertit Androcion, pecuniæ cumulandæ nunquam studuisse populum nostrum, gloriæ autem, quàm ulli rei magis, argumento est, quod cum aliquando plurimũ pecuniæ præ cæteris Græcis omnibus haberet, eam omnem honoris studio impendit, & pecunia de suo conferenda nullum unquam periculum gloriæ causa defugit. Tertii sunt ab his Romani, sic tamen tertii, ut gloriæ cupiditate & Spartanos & Athenienses longè superarint. Auctor Salustius: Civitas, inquit, incredibile memoratu est, libertate adepta, quantum brevi creverit. Tanta cupido gloriæ incesserat. Virtus omnia domuerat, maximum gloriæ certamen erat, laudis avidi, pecuniæ libera-

in Catilina. cap. 7.

liberales erant, gloriā ingentem, divitias honestas volebāt. Sum̃a quod Horatius de Græcis ait, fuisse eos præter laudem nullius avaros, id de Romanis verissimè dici potest, eratque, ut Curtius loquitur, avaritia eorum sola gloriæ & insatiabilis famæ cupido. *lib. 9.* Atq; huius cupiditatis eos Cicero commonefacit; Quoniam, inquit, semper adpetentes gloriæ, *in Maniliana* præter ceteras gentes atq; laudis avidi fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiori suscepta.

Atq; non potuit Cicero efficaci magis argumento eos cogere. Id quod ex illustri loco *lib. 3.* Polybii colligi potest. Postquam Historicus descripsisset prælium inter Romanos & Carthaginienses commissum in Hetruria, Romę, subjungit, nuncius cladis est acceptus, magistratus igitur, qui propter calamitatis magnitudinem mollire aut minuere tantum casum non poterat, advocata populi concione rem gestam exponere cogitarunt, qua collecta, cum primum Prætor è rostris ad circumfusam turbam in hæc verba loquutus esset, magna pugna Quirites victi sumus. Quibus auditis tanta repentè animorum consequuta est consternatio, ut iis qui utrique interfuerant & prælio & concioni multò tunc major clades accepta fuerit visa, quam in ipsâ pugnâ, & meritò quidem. Nam qui à longo tem-

tempore & rem & verbum illud, quo se victos faterentur, ignoraverant, vocem illam Prætoris tanquam insolentem neque mediocriter neque moderatè ferebant. Hic videlicet est iste speciosus animi Romani calor, ut eum eleganter appellat, Symmachus: cum inquit, ex summis opibus juva Romani animi speciosum calorem venturum in partem popularis mecum favoris si nobis ex tuo beneficio celebrior fama provenerit. Reperias & apud Historicos aliorum quoq; populorũ notas. Germanos nostros Velleius vocat viros pacis dulcedine gaudentes, Tacitus fide præstantes ideò custodes Imperatoribus additos. Gallos Amianus magnanimos vocat: Valerianus imp. in hist. Augusta severos: Jul. Cæsar mobiles in consiliis & rebus novis studentes, ostentatatores appellat; Tacitus inertes. Sed de his agere nostri non est instituti. Videatur Tholosanus. Alexander item ab Alexandro & alii. Quin & notavi apud Historicos, familiarum Romanarum quarumdam quædam gentilitia πάθη, quæ ad hæredes trãsibant. Sic Appii truces audiebant & ambitiosi, ut auctor est Livius: Consul ipse, inqt, in accusationẽ Appii familiæq; superbissimę ac crudelissimæ exorsus; sic Cassii severi & tristes dicebãtur. Unde Vulcatius Gallicanus: Notũ habes Cassium hominem Cassianæ severitatis &

*Epist. 61. lib. 4.*


*4. & 7. de bell. 1. Gallico De morib German 4. de rep. c 4. lib. 10 item c. .. lib 4. c. 13 genial. dier.*

tatis & disciplinę. Et Marcellinus Imp. Julianũ Iudicibus Cassiis tristiorem fuisse dicit. Unde *lib. 22.* tribunal olim Cassii, quod nullus ibi misericordiæ locus esset, scopulus reorum dictus. Rursum si semel promotos agere didicisset immaniter, Lycurgos se invenisse prædicabat *lib. 31.* & Cassios. Intelligit autem sive innuit Historicus Lucium Cassium, de quo Cicero in Bruto: Lucius Cassius multum potuit non eloquentia, sed dicendo tamen, homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia & severitate popularis. Valerii populares erant. Unde & primo Valerio Poplicolæ nomen accessit. De Cassiis, quod Vulcatius ait, Avidium Cassium tacitè principatum odisse, accipiẽdum est de omnibus. Unde elegãter Clariss. Scipio Gentilis illud tacitè, idem valere quod natura & propagatione veluti gentis. Nam eiusdem animi C. Cassius qui Cæsarem interfecit, & alter Cassius, quem Nero, quod sub C. Cassii imagine domi scripsisset, duci partium. Bruti constantes dicebantur, Fabii patriæ amantes. De qua gente Livius: Gratum patribus Fabiorum nomen, quanquam plebi invisum. Scipiones ambitiosi & bellicosi, Claudii Superbi; Unde Tacitus: Tyberium Neronem maturum annis spectatum bello, sed vetere *1. Annal.* atque insita Claudiæ familiæ superbia. Asinii erant feroces, testis Tacitus de Gallo Asinio,

 Invi-

Invisus pridem Tiberio, tanquam ducta in matrimonium Vipsania Marci Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plusquã civilia agitaret. Lælios passim hilares commendant Romanæ historiæ scriptores: Hortensios plerosque eloquentes. Unde Hortalus apud Tacitum eloquentiam gentile domus Hortensiæ bonum nominat.

Atq; hic subsisto, quod si gratiam aliquam hæc merebuntur, aut saltem publicum seculi convitium sive ludibrium effugient, quæ supersunt nobis aut his deinceps privato studio accedent, publico suo tempore nequaquam invidebo.




NAR-




NARR

Insig



U
d
n
e
postridie, q
gni equo p
& gemmis
gliæ dono n
episcop' U
iit, ibidem
Bohemiæ
sihe hujus c
gis iure per
fcuor, victo
perpetuum
mi exstet ap
re aquilam



# NARRATIONUM RIDICULARUM.

## CAPUT I.

### *Insignium Regni Bohemiæ iocosa mutatio.*

CUm Uladislaus Bohemiæ Rex Fridericum Barbarossam in expeditione Mediolanensi egregiè juvisset, expugnato Mediolano imperator postridie, quàm Urbem ingressus esset, insigni equo paludatus assumtaq; corona, auro & gemmis resplendente, quam ei Rex Angliæ dono miserat, templum, in quo Archiepiscop' Urbis sacra solemnia obibat, introiit, ibidemq; capite deposita corona ad regẽ Bohemiæ transfert his verbis: Ad te Uladislae hujus coronæ decus donumq; amici Regis iure pertinet. Tu quippè eius, quâ nunc fruor, victoriæ, caput & pes fuisti. Quin ut perpetuum, & virtutis tuæ & nostri in te animi exstet apud posteros monumentum, patere aquilam regni tui insigne nigram cum fulvo per-

vo permutare leone. Semper enim aquilę robur leonis excellit fortitudo. Assensus est grato animo rex, jussuq; Cæsaris pictor insignia Bohemici regni nova Bohemis repræsentavit. Accidit tum res ridicula. Depinxerat forte pictor leonem in vexillo ita, ut caudam intrà fœmina sulcaret, quasi prorsus eâ truncus; quem Bohemi intuentes: Et ubinam cauda, inquiunt? nonne, hæc simiæ turpis bestiolę magis quàm generosi leonis imago? Ideoq; Aquilam suam contemto huiusmodi leone velut anxii repetebãt. Quod ubi Cæsari relatum, in risum solutus; Non inquit, difficile erit huic Bohemorum querelæ mederi. Itaq; mox pingi leonem album jubet, non unâ caudâ tantum, sed duabus, iisq; in altum porrectis conspicuum. Atq; huiuscemodi leonem hodieq; Bohemi præferunt.

## CAPUT II.

### *Partus ridiculi historia.*

EST in Italia Plumbinum oppidum nobile, quod nonulli Populinum adpellant, tanquam ex Populoniæ ruinis ædificatum, situm id est in littore Thusci maris, Ilvæ insulæ oppositum, quæ ferri venis inexhausta magnum quotannis vectigal Plumbini domino præbebat. Huic oppido præerat Jaco-

bus Appianus circa annum Salutis 1390. ex pago Appiano in orâ Pisana cognomentum adeptus ex Paula nobilissima fœmina Martini Quinti Pontificis sorore natus, princeps, ut laudatur pacificus & à vicinis omnibus amatus. Hic cum ex conjuge virilis sexus sobolem non susciperet, cupiditate nominis generisque proferendi extra matrimonium heredem quæsivit & concubinam amare cœpit, quam cum prægnantem animadvertisset, mira voluptate perfusus, cum pariendi tempus jam propè adesse animadverteret, ad Florentinos, Senensesq; incredibili gaudio gestiens scripsit, atq; uti Legatos ad se mitterent ac partum de sacro fonte levarent, futuros compatres magnis precibus invitavit. Paritũ est, venere ad diem dictam legati: Interim mulier inter obstetricum manus diu laborãs tandem Æthiopem peperit. Quæ res ut risum in populo cachinnumq; excitavit, ita splẽdidas istas compaternitates interrupit, ac spes & gaudium Appiani mirificè cõturbavit. Tibicen tum fortè Maurus in familia ejus erat, ex quo natum puerum credidere, & is quidem mox ubi detectum flagitium intellexit, saluti suæ fuga consuluit, partumq; mulieri, ludibrium principi reliquit.

CAPUT

## CAPUT III.

### *Ridiculum Cardinalitiæ magnificentiæ spectaculum.*

CIrca annum partæ per Christum Salutis 1517. Leo X. Pontifex Romanus bellum contra Turcas magno molimine conflaturus tres simul legatos petitum auxilia Roma dimisit, quorum unus in Germaniam, alter in Galliam profectus, tertius cui Laurentio Campegio nomen, in Angliam destinatur, qui cum jam Caletum advenisset, Thomas Vulseus Cardinalis Eboracensis re intellecta Episcopos & Doctores quosdam eò, quantum potest, obviam legato veniendum mittit, qui sic ei instillarent, ut si legationem eam velit non esse irritam, remisso ad Pontificem nuncio efficeret, ut ipse in eadem quoque legatione coniungatur. Id cur faceret in caussa fuit, quod legati accessu auctoritatem suam depressiorem fore nonnihil animadvertit, eoque ut ex æquo auctoritatis gradu paria illi faceret, in legationis venire societatem cupiebat. Campegius verò nihil horum suspicans homo credulus fidem verbis accomodat, Romam mittit, diploma accipit, trigesimo quinto post die, quod jus legationis inter utrosq; ex æquo & bono divideret.

deret. Interea temporis Eboracensis vestes ei muricatas mittit, vestiendis famulis, qui minus splendidè culti prius videbantur. Rebus in hūc modū instructis & præparatis, solvit tandem Caleto in Angliam Campegius. Ubi primum portu Doveriensi exceptus ac deinde stipatus optimatibus Londinum versus contendit, per singula oppida publicæ ei supplicationes decretæ ingredientem accipiunt dimittuntq; exeuntem. Progresso paulò longius dux Nortfolcensis cum multa nobilitate legato procedit obviam, deducturus inde Londinum. Ibi legatus primum mutato cultu Cardinalitiam sibi trabeam circumdat, Tyrioq; ardebat murice lena. Nunc accipe ambitionis dignum Cardinale exemplum. Habebat mulos proprios octo Campegius, sarcinulis varioq; apparatu onustos. Ratus autem Eboracensis, id non esse satis pro amplitudine Cardinalitia ad numerum adjecit mulos alios duodecim onerarios cum vacuis hyppoperis & mulionijs penulis ex colore purpureo magnificè stratos. Cum iis igitur 20. mulis Urbem postridie ingressurus legatus Pontificius primum mirificam sanè speciem præbuit oculis intuentium raræ cujusdam & Lucullianæ planè opulentiæ. Unde nec mediocris omnium admiratio consecuta est, quasi semideum quemdam, legatum vide-

videlicet tot, tantisq; Thesaurus præditum essent excepturi. Sic enim solet vulgus hominum maiestatem Ecclesiæ & Ecclesiasticorũ nõ alia re ferè quàm externo strepitu & pompa rerum mundanarum metiri. Ceterùm in media hac hominum admiratione lepidum sanè ac perridiculum accidit delusæ ambitionis spectaculum: Siquidem dum per summã celeberrimamq; Urbis plateam iter facit, mulio sua jumenta cum impedimentis agens, dumq; frequentes undiq; accurrũt contemplabundi, repentè ut fit, unus è mulis rupto capistro, quo stringebatur, in proximos alios impetum facit, atq; illi vicissim in alios. Quo factum est, ut tumultuantibus aliquot, gestamina humi effusa sint, tanta quidem vi, ut luxatis bulgæ ipsæ feris Cardinalitios Thesauros, vel potius pro Thesauris carbones ostenderent, non sine multorum risu, maximè autem puerorum & puellarum, quorum alii fragmenta carnium, alii panis frusta, alii ova assata, aut equorum soleas, vetustos calceos, aliaq; id genus scruta plateis colligentes clamitabant: En inquiunt, D. Cardinalis gazas! Muliones vehementer pudefacti, Thesauros iterum recolligentes pergunt in itinere, quos non multo post circa horam diei tertiam ipse consequitur Cardinalis 24. Julii Urbem ingressus, inde ingenti honoris pompa in templum

plum

plum summum D. paulo sacrum deducitur. Ubi cum ex more omnes Pontificia benedictione aspersisset, mox ad Eboracensis ædes traductus est, à quo exceptus, altero die, qui erat Dominicus, ad Regem cum ipso contendit, suamq; uterque adversus Turcas legationem obivere, qui Turcæ totam penè Ungariam eo depopulari spatio potuissent, quo isti student, qua solemnitate suam satis exornent legationem.

## CAPUT IV.

### *Jucundæ investituræ exemplum.*

CArolo Simplice Gallorũ Rege XXVI. imperante, Rollonæus Nõrmanorũ dux, vir corpore & animo prõptissimus, diviso exercitu tribus locis Galliam adortus est, iuxta Ligerim, Sequanam atq; Garumnam, easque provincias ferro flammisq; depopulatus. Cui cum se Carolus viribus imparem animadverteret, cum eo per Francum Episcopum Rotomagensem de pace tractavit. Quamobrem juxta Eptam fluvium ad colloquium venere, tandemq; in utraq ;flummis ripa consistentes pacem hisce conditionibus fecere. Rollonæus Christianus fieret: Gillin Caroli filiam uxorem duceret, eique pater dotis nomine Neustriam provinciam assi-

gnaret. Hæc à Septentrione Sequana, ab Occaſu Oceano, à Meridie verò atq; Oriente Armoricis & partim Epta terminatur. Icto hoc fœdere Rolloneus Christianâ religione initiatus eſt & Robertus appellatus, à Roberto Pictonum Comite, qui pro illo in baptiſmo ſpoponderat:, ductaq; Gilli Neuſtriam provinciam recepit, eamq; mutato nomine Northemanniam appellari voluit. Dum verò à Carolo Gillin uxorem & Neuſtriam provinciam adcipit, monetur Rolloneus ab aſtãtibus, ut pro more gentis Gallicæ, qui in hujusmodi ſolennitatibus ſervaretur, Regi pedem oſcularetur, non dignatus ille in genua coram Rege procumbere ſtando Regis pedẽ manu præhenſum in altum ſuſtulit, oriq; ſuo, ut eum exoſcularetur, admovit. Quo factum eſt, ut rex ex tanta pedis ſublatione retrorſum ceciderit in ſedile, quo viſo Normãni ſuaviter ridere, Galli verò indignari tanquam in ſuam contumeliam factum cœpere. Attamen intervenit rixis ipſe Rolloneus & hunc apud ſuos reges exoſculandi pedis morem eſſe affirmavit. Itaq; Carolus ſuis inhibitis quicquid erat, ſimplicitati Rolloneì adtribuendum putavit.

CAPUT

# CAPUT V.

## *Inſignis ſimplicitas cuiusdam Monachi ex monaſterio ad regnum evocati.*

ARagonii inter Iberum & Valentiæ regnũ ſiti nomen à Tarracona antiquiſſima urbe olim à Cn. Publico Scipionib. fratribus ſecnndo bello Punio exſtructa, ſortiti, Petrum quendam Tarrenſem nobilem, Regem ſibi delegerant. Hic dignitate ſibi commendatâ ac regno abuſus ſuperbire atq; inſolens eſſe cœpit, ac ſic in populi odium incidens mox etiam regno privatus eſt. Quo de ſolio deiecto cum nemo eſſet qui muneri huic ſuſtinendo aptus videretur, Pontificis auctoritate ex monaſterio evocarunt Ranimirum quendam Sancii majoris illegitimum filium, eumq; Arragoniæ regem elegerunt & Oleæ, ut Colenutius, ſive Oſcæ, ut Rodericus Sancius nominat, coronarunt anno Salutis 1017. Hic rei militaris, ut credibile eſt, imperitus, cum aliquãdo in Expeditione adverſus Mauros à ſuis Nobilibus armatus & equo impoſitus eſſet, dedêre ei in dextram clypeum, poſtea lanceam in ſiniſtram, quo facto & habenas ei porrexere, quod cum ille animad-

verteret, ignarus quomodo eas caperet, in hæc verba eos compellavit: Sinite ut ore eas apprehendam & cum dicto hianti ore habenas excipiebat; videtis enim utramq; manum occupatam esse. Quibus verbis Nobilitas in risum soluta hominis stultitiam explosit, verum ille simplicitate post monastica exsuta, convocatis ex nobilitate præcipuis, eosdem occidi iussit, addito eleganti sarcasmo: Non sa ben la Volpegia, con quien trompegia hoc est, Ignorat vulpecula, cum quo ludat.

## CAPUT VI.

### *Astuta sed ridicula ignominiæ vindicatio.*

RObertus Normannus Dux urbanus & facetus cum aliquando Constantinopolin visitatum Imp. Constantinum venisset, Imp. ut ingenium ejus tentaret, vetuit dedita opera ipsi & Comitibus sellas apponi sesquipede altiores, in quibus prandendo sederent. Factũ est id ut iusserat Imp. Cum ad prandium venisset Normannus humilioresq, sellas quã pro sui corporis modulo animadvertisset, dolũ suspectans, ingenio tamen, quod ei ad omnia promptum, non defecit. Vestem enim superiorem sive pallium instar globi complicatum sellæ imposuit & sic eidem, quod dee-

deerat, altitudinis adjecit. Exemplum ejus imitati reliqui Normanni suo quisque loco consedere. Pransi sunt, prandioq; finito Robertus relicta veste recessit, subsequuti sunt ipsum reliqui quoq; Principes, mirante Constantino, qui postquam eos seriò abire velle animadvertit, Eccur, inquit vestra quisque non recipitis pallia? Nobis, resqondit, Domine, mos nequaquam est, sellas aufferre aut nobis cum ferre.

Pulchrè sic & eleganter Imperatorem itẽrum cavillatus. Idem Robertus cum in itinere Hierosolymitano per morbũ curru vehi & equo nequiret, humeris Rusticorum latus. Redeunti in patriam Normanno, quærentique quid dux de se percunctantibus dici vellet, lepidissimè in hæc verba respondit, vidisse te Romam reversus tuis oculis dicito, Robertum Ducem à Dæmonibus in Cœlum latum: Dæmones appellans Rusticos idololatras, Cœlum Hierosolymam, quod inde Salus nostra profecta esset.

## CAPUT VII.

### *Antiquus Principem Carinthiæ investiendi mos festivus.*

*Æn. Sylv. Historiæ Europææ cap. 20.*

IN Carinthiâ quoties novus Princeps Reipublicæ gubernationem init, solemnitatẽ nus-

nusquam alibi auditam obſervant. Non longè ab oppido S. Viti in valle ſpeciosâ vetuſtæ civitatis reliquiæ viſuntur, cuius nomē temporis abolevit antiquitas. Juxta in pratis latè patentibus, marmoreus lapis erectus eſt, hunc ruſticus adſcendit, cui per ſucceſſionem ſtirpis id officium hæreditario jure debetur. Ad dextram bos macer nigri coloris adſtat, ad ſiniſtram Paramatiæ deformis Equa, frequens circa eam populus & omnis ruſtica turba. Tum Princeps ex adverſa pratorum parte procedit, purpurati circum proceres ambiunt. Vexillum ante ipſum & inſignia Principatus. Comes Goritiæ, qui palatii curam gerit, inter duodecim minora vexilla præcurrit, reliqui Magiſtratus ſequuntur. Nemo in eo comitatu non dignus honore videtur, niſi Princeps ipſe, præ ſe ruſtici ſpeciem ferens. Agreſtis ei veſtis, agreſtis ei pileus, calceusque & baculus in manu geſtantis paſtorem oſtendit: quem poſtquam ruſticus ex lapide venientem conſpicatus eſt, ſermone Slavonico: (ſunt enim & ipſi Carinthii Slavi) Quis hic eſt inclamat, cuius tam ſuperbum inceſſum video. Reſpondent circumſtantes, Principem terræ adventare. Tum ille: juſtusne judex eſt, ſalutem patriæ quærens, liberæ conditionis, dignus honore? Eſtne Chriſtianæ cultor religionis, defenſor & pro-

& propagator? Reſpondent omnes, eſt, & erit. Rurſus ille; Quæro igitur, quo me jure ab hac ſede dimoveat? Ait Goritiæ Comes, LX. denariis abs te hic locus emitur. Iumenta hęc tua erunt, bovem atq; equam oſtendens, Veſtimenta quoque Principis, quæ paulò ante exuit, accipies, eritq; domus tua libera & abſque tributo. Quibus dictis ruſticus levi alapa Principi data bonum judicem jubet eſſe, & ſurgens jumentaq; ſecum ducens, loco cedit. Princeps verò conſcenſo lapide, nudum gladium manu vibrans ad omnem ſe partem convertit, æquum judicium populo promittens. Ferunt & aquam frigidam, è ruſtico illatam pileo, bibere, tamquam vini uſum dimoet. Deinde ad templum ſolemne pergit, quod in propinquo tumulo ſitum eſt, Sanctæ Mariæ dicatum, ubi peractis ſacrificiis, Princeps ruſtica indumenta deponit, paludamentumque induit convivatusq; ſplendidè cum proceribus, in prata revertitur, ibiq; pro tribunali ſedens jus petentibus dicit, & fundos confert. Fuit Dux Carinthiæ venator Imperii, ad quem lites Venatorum omnium deferebantur. Vocatus in judicium coram Imperatore, non niſi Slavonica lingua querelantibus, reſpondere renebatur.



## CAPUT IIX.

### *Absurdi iudicii Criminalis Exemplum.*

Est & alia Provinciæ Carinthiæ consuetudo in Oppido quod Clagefurnum appellant, contra fures durissima. Si qs in furti suspicionem inciderit, mox captus, laqueo suspensus vitam finit. Sumto supplicio, post triduum de suspicione judicant. Quod si reum fuisse deprehendunt, quem de patibulo suspenderunt, pendere cadaver infame sinũt, donec sua sponte consumptum decidat: Sin vero innocens sit necatus, depositum de furcâ in cœmiterio condunt, justumque funus è publico faciunt, & gratas, si DIs placet, exsequias.



# CAPUT IX.

## FRIDERICI *Ciliæ Comitis iocosum sed impudens Scomma.*

FRidericus Ciliæ Comes in libidinem pronissimus & olim Veronicæ concubinæ incensus amore legitimæ conjugis ex Comitibus Croatiæ natæ interfector, omnibus flagitiis coopertus, cum ei Pater Hermannus concubinam eripuisset, inque profluentem demersisset, & uxores passim exinde maritis abstulit, & puellarum greges in palatium rapuit, provinciales item pro mancipiis habuit, ecclesiæ bona diripuit, monetarum falsarios veneficos, necromantas ad se accivit, & indies vincere seipsum studuit. Tandem ętate confectum jam & nonagenarium incessit præpostera quædam religio, & Jubileo Anno Romam indulgentiarum caussa petivit: Inde reversus domum nihil melior visus, planèq; anus ad armillum, ut in veteri est verbo, rediit. Interrogatus verò aliquando: Quid Roma ei profuisset in pristinos mores iterum relabso? respondisse fertur: Et sutor quoque meus ad consuendas ocreas post visam Romam rediit.

## CAPUT X.


### *Lepida cuiusdam boni patrisfam: frugalitas sive parsimonia.*

DE Carolo IV. Bohemiæ Rege hoc inter eius encomia passim Historici referunt, fuisse in re familiari constituenda adeò providum, uti nunquam arcibus, vectigalibus, aurariis argentariisq; agris deniq; suis procurandis præficeret, nisi eum, qui diligenter, perspectè, utiliter fungi sciret officio suo, ne quid per ullam socordiam aut imprudentiam eorum amitteret, quæ ad tuendam rem familiarem eamdemq; amplificandam deservirent. Horum solertissimus habitus est Theodoricus professione Monachus, qui Monasterium Cistercienſe, in quo Oeconomus fuit plurimis debitis multo tempore impeditum atq; exinanitum sic sua dispensatione expeditum refertumq; reddiderit, ut nũquam antea uberius fuerit. Hunc Carolus ad se accersitum adeò tenui arci præfecit, ut qui prius illi præfuerunt, ex annuis illius proventibus nec se ipsos, nec familiam alere potuerint, sed necesse erat ex vicinis arcibus commeatum suppeditare. At Theodoricus brevi ostendit, in sterili quoq; arce nihil

æque

æque copiæ, largi atq; frugum & pabulorū conferre, ac ipſum præfectum, ſi laborem ſedulitatemq; & curam propriam, non autem alienam fideliter adhibuerit. Ac vide hominis ſolertiam. Dedita opera Carolus ad illam arcem cum ſatis frequenti comitatu inproviſus venerat, præmiſſo indagatore, qui penum Theodorici exploraret, in quo ſumma inerat penuria. Rex adveniens mandat, uti mox pro domeſtica copia ſubitum apparet jentaculū. Theodoricus gallinas, & anaticulas ex corte obvias pro menſa regia oblonat. Ut autem ventres prætcrea tam multos eadem celeritate impleat, hoc ſubito excogitat coſilium. Gregem ſuum proximè arcem paſcentem invadi jubet, atq; à ſingulis ſuibus nihil præter aures & caudas tanquam membra coctu expedita detruncari iubat, detruncata variè condiri & hoſpitibus deinde apponi mandat. Admirante Rege & exquirente, unde tandum præter exſpectationem eduliorum? truncas illi Theodoricus ſues oſtendit, addens: hinc Domine ſine ullo totius gregis detrimento natus mihi omnis ille eſt apparatus. Cui Carolus vultu læto ſubridens, Euge, inquit, ſerve bone, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, ſtatimq; cum ærarii Quæſtorem fecit, tanto rerum ſuarum incremento, ut ex eo [illegible] redun-

redundaret, non solùm ad liberandas arces æri aleno obnoxias, sed ad novas etiam comparandas & condēdas, Quorum meritorum suo tempore Carolus memor, Theodoricum primò Mindensem, post Madeburgensem quoq; creat Pontificem.




## CAPUT XI.

### *Ridiculum spectaculum Principi exhibitum.*

CUm anno Salutis partæ 1468. Carolus Burgundus Philippi filius Princeps potentissimus subjugatis Leodiensibus ex Hannonia Insulam Urbem venisset, inter alia spectacula honori Principis data unum etiam fuit ridiculum admodum & ad oblectandum Principem unicè institutum. Collocarant in conspectu Principis tres mulieres vivas, totas nudas, coronatas pulcherrimè sub titulis, Veneris, Junonis & Palladis, quæ judicem sibi Carolum deposcebant, ad exemplum veteris fabulæ, qua tres illæ Deæ Paridem olim Pastorem Phrygium in Ida monte judicem sibi delegerant. Verum alia fuerat Dearum olim ratio, alia harum trium mulierum. Illæ enim Deæ de formæ præstantia certabant, tres hæ Insulanæ de deformitate & coporis vitiis,

vitiis. Nam quæ Veneris titulum præferebat, procera quidem ſtatura erat, ſed adeo obeſo corpore, ut craſſior nusquam poſſet reperiri. Iuno ſtaturâ Veneri pari, ſed tota oſſa atq; pellis, adeòq; pellucens tanquam laterna Punica, quaq; ex multis millibus nulla macilentior aut ſtrigoſior. Tertia, quæ Palladem mentiebatur, ſtaturâ erat brevi ac nana, ſublatis humeris, gibboſa & omnibus viriati corporis deformitatibus inſignis. Quod ſpectaculum adeò Carolum oblectaſſe fertur, ut reliquis omnibus longè anteferret, & magni honoris loco acciperet.

*FINIS.*



# INDEX RERUM MEMORABILIUM,

## A



Idem

*Augusti*

Gauda-

## H.

N.

Tri-

*Viti-*



OB

HIS

PO

D

MICH

P

ET

Decre[illegible]

[illegible]

[illegible]

De Cau[illegible]

Picatti
Observat